



1
6
510









RODERICI A' FONSECA LVSITANI,

In Pisana Academia Artis medicę professoris ordinarij Opusculum,

QVO ADOLESCENTES AD MEDICINAM FACILE capessendam instruuntur, casus omnium febrium methodice discutiuntur, & curantur; Iuxta normam in punctis tentatiuis, pro doctoratu recitandis vsitatam, vt post vniuersalem medendi methodum, in particularibus se quisq; exercere possit.

Adduntur eiusdem Auctoris Consultationes aliquot, & modus demonstratur curandi capitis vulnera sine apertione, & per admirabile Apparitij oleum, secretum vnicum, quo ille apud Hyspaniarum Regem, non modo gloriosum nomen, sed opes magnas consequutus est.

CVM INDICE OMNIVM, QVAE IN singulis Capitibus continentur.





FLORENTIAE,
Apud Michaelangelum Sermartellium. B. F.
MDXCVI.
CVM LICENTIA SVPERIORVM.

IVLIO LIBRIO; PHILOSOPHO ADMIRABILI,

SAPIENTIA, DOCTRINA, ET omni virtutum genere claro, in celeberrimo Patauino Gymnaſio Logicam è primo loco docenti.

Rodericus à Fonſeca. S. P. D.





OTAVERAM olim in diſcipulorum meorum exercitationem, omnium febrium caſus methodice diſcutiendos, & curandos; non eo equidem animo, vt in lucem irent. illi tamen me licet inuictum, in eam rem acriter impellunt, vel potius cogunt. verum ne prorſus nuda ea foret tractatio, ante omnia, in primis diſcipulorum vtilitati conſulens, de optimo adiſcendi artem genere, tractatiunculam appoſui. Conſilia quoq; aliqua mihi demandata addidi; vt quemadmodum ad febres, ita etiam ad peculiares morbos non deeſſet exem-

plum; ea tamen conditione omnia promulgaui, vt in adolescentium potius gratiam, atq; eruditionem, quam doctorum hominum graue iudicium, aut censuram scripta malim. Cum vero operis protectorem quærerem, primus omnium occurristi Iulij clarißime, quo nullum cariorem inter amicos habui, vel sum habiturus; quamdiu enim in hac Pisana Academia, tanto cum auditorum applausu, & frequentia philosophiam ordinariam professus es, nullum prætermißum abste officij genus est, quo tuæ erga me beneuolentiæ insigne testimonium non conspexerim, ac perinde, hunc tibi meum offerendum laborem sum ratus, non quod præclaro isto ingenio tuo, atq; doctrinæ præstantia dignum existimem, sed vt amoris erga me signum quodcumque magis possem præberem. Protege igitur vir doctißime libellum, Auctorem, & amicum, & in isto celeberrimo Gymnasio quasi æternus Sol exoriens, sapientiæ tuæ radios diffunde, meq; vt soles, ama.

INDEX EORVM CAPITVM, QVAE IN PRIMA PARTE CONTINENTVR.



INDEX CAPITVM, QVAE IN SECVNDA PARTE CONTINENTVR.


Hypialę

INDEX CONSVLTATIONVM, QVAE IN TERTIA PARTE CONTINENTVR.

Con-

INDEX.

FINIS.



RODERICO FONSECAE PRAECEPTORI SVO.



TV calamo, Tuq; ore doces Fonſeca, ſaluti
Idem reſtituis Corpora noſtra ſuae,
Te, dubiis rebus ſi quis Noſtrum haereat anceps,
Non re, conſilio non prior vllus adeſt.
Quid plus Te ſtudioſa velit praeſtare Iuuentus?
Tu Medicus, Doctor, Tu Pater vnus ei.

Io. Baptiſta Portinarius.



AD RODERICVM FONSECAM.



TE reddunt Fonſeca æternum, vt reddere vitam
Hæc poſſunt aliis aurea ſcripta viris,
Magna ſalutiferi creſcet ſed fama laboris,
Mundus Apollineum cum bene noſcat opus.

Dominicus Ponſeuius.

RODERICI A' FONSECA LVSITANI,

In Pisana Academia Artis medicę professoris ordinarij Opusculum,

Quo adolescentes ad medicinam facile capessendam instruuntur, casus omnium febrium methodice discutiuntur, & curantur, Iusta normam in punctis tentatiuis, pro doctoratu recitandis vsitatam, vt post vniuersalem medendi methodum, in particularibus se quisque exercere possit.

Via, & Modus, atque Institutio, qua quisque facile artem Medicam consequi possit. Cap. I.



EDICINAM iure merito Hypp. nobilissimam omnium Artium existimauit, ac perinde Medicum inter omnes Artifices præstantissimum. Nec immerito eadem Medicina, & idem Medicus vilissimi censentur; quia, sicuti doctus & peritus Medicus prestantissimus Artifex est; ita imperitus contemptibilis; & propter peritos Ars nobilissima; ob imperitos vero longe vilissima censetur. Ergo summa ope niti debet Medicinę studiosus, vt non solum nomine, sed re ipsa Medicus censeatur. Ratio vero, qua vnusquisque id consequi possit, explicanda nobis nunc est; quæ veluti difficilis, & paucissimis cognita, ita maximi momenti censenda est. Mirum.n.est quantum aberrent Adolescentes, & perdantur in amplissimo medicinæ oceano, atque immensa librorum copia; vt etiam si ingenio valeant, & assidua lectione crucientur, vix possint metam attingere. Quamobrem Iuuenem Artis medicæ studiosum breuiter mihi instruendum proposui, quo non modo bonus Medicus, verum admirabilis euadat. Tota vero huius rei summa ab vno omnium Auctorum grauis-

ſimo Hypp.& potiſſimum libro de lege, quem alias commentario elucidatum in lucem edidimus) peti debet, quæ breuiter nunc percurrenda ſunt, additis quibuſdam animaduerſionibus, quaſi fundamentis eius, quod inſtituimus negotij.

Hypp. igitur ſeptem condictiones in Medico perquirit; Naturam, Doctrinam, Locum ſtudiis aptum, Inſtitutionem à Puero, Induſtriam, Tempus, & Peregrinationem; de quibus ſigillatim dicendum eſt. Naturam itaq; comparat Agro; Doctrinam, & Dogmata Pręceptorum ſeminibus, quæ in Agro mittuntur. Inſtitutio à Puero, tempus eſt oportunum ſeminandi; locus ſtudiis aptus eſt veluti Aer ambiens; Induſtria cultura eſt & cura Agricolę; Tempus omnia perficit, & maturat; Peregrinatio verò rerum cognitione, & operandi facultate Medicum admirabiliter exornat; quæ ſingula diligentius expendamus ab ipſa Natura exordientes.

De Natura. Cap. II.

NATVRA hęc, quam omnium principaliſſimam in Medico exquirit Hypp. nil aliud eſt quam naturalis potentia ad Artem facile capeſſendam, atque exercendam; & ideo conſiſtit in ea facultate animæ quæ ingenium dicitur, & quam Gal. formarum facile ſuſceptiuam appellat, & arguere dicit ſubtilem cerebri ſubſtantiam; & in ea parte animę, quæ dicitur prudentia, & iudiciũ rectè operandi, quod difficile appellauit Hyp.? Qui igitur & ingenio, & prudentia natura valuerit, hic ad vtramq; artis partem tam Theoricam, quam Practicam aptiſſimus erit; quamuis difficile ſit inuenire, qui in vtriſq; excellat; quidam.n. magis ad theoricam, cum ingenio valeant, magis quam prudentia ſunt aptiores. Alij verò contra. Hæc igitur duplex Natura nullo ingenio, vel arte acquiri poteſt, cum ſit Donum Dei, & Naturæ; non tamen propterea velim eos deterreri, qui mediocriter hanc facultatem nacti ſunt; quoniam Ars, Doctrina, & labor naturæ defectus corrigunt. Ego tamen libenter eos monerem, qui parum fęlices ingenio ſunt, vt ad aliud negotium ſe verterent, quod & ipſum tacite monuit Hypp. primo aph. aph. 1. difficultates Artis proponens; atq; Vtinam Iuuenes, qui ad Artem accedunt, vel a Parentibus, vel à Præceptoribus facto examine huius naturę, quam dicit Hypp. ſeligerent, vt ſolum hij in arte admitterentur, quibus promptitudo hæc à natura conceſſa eſt, ita enim conſultius foret de humano genere, & Artifices, ac Medici egregij euaderent.

Lib. 1. Artis Med.

Lib. 1. Aph.

De Doctrina. Cap. III.

CVM quis hanc nactus fuerit naturam doctrina aget, quę doctrina continet præceptiones, & propositiones medicas, quarum collectio Ars est, quæ sanè doctrina duplex statuitur, altera in scriptis, quam ad Posteriorem vtilitatem reliquerunt Antiqui, Altera, quæ viua Præceptoris voce habetur; ideo indicandum est qua ratione, & optimum Pręceptorem, & optimos libros eligere quisquam debeat, quibus destitutus medicinæ studiosus, quantumuis aptissimus ad Artem sit, oleum & operam perdet. Quo ad Præceptorem, attinet, constat talem fore Discipulum, qualis præceptor fuerit, & Gal. inter cæteras medici conditiones, quasi primam proponit ingeniosum Pręceptorem, adeo vt fœlicem se pędicet, quod Patrem nactus fuerit Geometram, Astrologum, Logicum, Architectum, & Phylosophum admirabilem, quodq; præceptores in omni secta doctissimos audierit: inter quos maxime laudat Satirum, & Pelopem, Corinthum nauigauit, vt Numisianum Quinti discipulum audiret, & Alexandriam petiit, vt eiusdem Quinti discipulos alloqueretur: sunt.n.vt scripsit Hypp.lib.de Arte. Artificum alij viles, alij longe præstantes, à quibus tales prodire discipulos, quales & ipsi fuerint certum est; Debet itaque Adolescens eum sibi Pręceptorem eligere, qui non modo bonis artibus sit institutus, sed & bonis moribus præditus, qui sine ambitione, aut fuco veritatem quærat, & artis præcepta vtilia proponat, non nugas, vel sophysmata, aut quæstiones logicas, & alia, in quibus sine vlla vtilitate remorantur Adolescẽtes, quemadmodum olim Thessalus & Themison facere soliti erant, & qui alicui sectæ se addixerunt, aut in cuiuspiam verba iurarint. Quod detestatur Gal. hæc ad verbum scribens. Ego (ait) non solum in Hyp. scriptis, sed etiam in omnibus Antiquorum libris obseruo, vt non temere quicquid ipsorum dixerit probum, sed experimento, ac ratione verumne, an falsum sit, quod quisque rerum scripsit examino, & hęc de doctrina quæ viua voce à Præceptore habetur. Mox de ea dicendum est, quæ scriptis tradita est.

3.de loc.af.1.

8.Meth.Med.

6.Epid.2.

Qui libri sunt legendi. Cap. IIII.

MVLTVM sanè interest ex tanta scriptorum copia, eos sceligere auctores, qui cæteris præstant; mirum.n.immodum cruciantur studiosi huius artis in tanta librorum copia. Quamobrem inter multos paucos, ne confusio contingat, imo vnum, aut duos Auctores sibi familiares facere decet, & in illis ipsis, eas partes legere, & agitare perpetuo, in quibus Ars potissimum consistit. Inter Græcos, itaque Auctores tres tantummodo Familiares habere oportet. Hypp. Galenum, & Alexandrum Trallianum

inter Latinos autem ex Antiquis Cornelium Celsum, ex Modernioribus vero Fernelium; Nam Hypp. nil reliquit, aut non inuenit, quod ad Artem necessarium esse possit, cuius omnia tam diligenter, & diffuse enarrata sunt a Galeno, vt ad Artis summum incrementum nil amplius desiderari possit. Est.n. vnus Hypp. nobis instar mille Auctorum, Galenus vero pro innumeris Expositoribus; Galeni tamen scripta ob innatam facundiam, & contra dicendi studium in infinitum redacta sunt, quæ tamen Trallianus, ita contraxit, & in compendium redigit, vt coarctatus Galenus censeri debeat; qua ratione non modo laudandus venit; sed ob excellens iudiciũ in curatione, in qua, si quando dormitat Gal. (quamuis tamen raro id fiat) corrigitur. Nam, & in curanda phtisi 5. meth. & syncopi 12. eiusdem, & quartana, primo ad Glauconem, & pluribus aliis locis non sine ratione ab eo, (vt mihi videtur) notatur magnus vir Galenus. Cęterum Cornelius Celsus, vt de eo, quod & ipsę de Hypp. iudicium faciam, vir arte, & facundia insignis omnia artis præcepta tam breuiter, exquisite, & eleganter tradidit, vt recte censendum sit habuisse Latinos, sicut & Græcos suum quoque Hyppoc. Iam vero inter Moderniores Fernelius vnus non tamen cęteris doctissimis Viris spretis, ideo mihi ante ferendus venit, quia nulli sectæ addictus, quod in aliis vix reperitur; non solum Antiquorum scripta breuiter, & dilucide explicat, verũ dicẽdi forma iudicat, multa ex suo adinueniens, quibus Ars ipsa ad cumulum accedere videtur. Habet præ cæteris exactissimam methodum, sine qua nihil recte vel scribi, vel operari potest. Hi sunt Auctores, quos studiosus noster indefesse legere debet. Verum quia vnusquisque ipsorum multa scripsit, nec pariter omnia sunt vtilia, & Galeni opera ad summum peruenere incrementum; ideo in quocumque eorum ea seligere oportet, in quibus potissimum Ars versatur, & in illis perpetuo versari. Sed quoniam Gal. ob dicendi facilitatem, & à qua cæteri post Hypp. quasi ex doctissimo medicinæ Oceano omnia depromere videntur. Vnus Primus legendus venit, iudicandum nobis est, qui libri huius auctoris, vel soli, vel maximæ prę manibus semper sint habendi, ne in tam vasto mari medicinæ studiosus perdatur.

6. Metho. 4.

Iudicium de Galeni libris, & qui potissimum legendi sint. Cap. V.

CARDANI sententia est in præfatione lib. 4. aff. vt postquam omnes Hyppocratis libros intellexerimus deinceps infrascriptos Galeni libros percurramus scilicet sex de locis affectis. 17. de vsu partium, 14. de metho. med. 5. primos, & 3. vltimos de simpl. facul. 10. de comp. 2. loca, & 7 sec. genera putatq; vt si a reliquis eius libris abstineamus, non solum temporis lucri facere, sed fieri, vt minus hæreamus in his, quæ ab Hyppoc. recte

recte sunt tradita; Hæc ille, quæ sanè optime scripta videntur, desunt tamen aliqua, quæ nos addere oportet, exordium facientes. Medici opus duplex est, sanitatem.s. conseruare, & curare morbos in vtroque tria facit Medicus, qui Rationalis dicitur; primo affectus cognoscit, secundo materiam operandi, tertio methodum habere debet, qua recte operari possit; & quod pertinet ad eam artis partem quæ morbos curat, quæ præstantissima est, & in qua potissimum Medicus insudare debet, ea ex libris Galeni ita educitur. Quod pertinet ad morborum cognitionem vniuersalem, legat libros de differentiis, & causis morborum, ac simptomatum. Si vero in particulari considerentur, cum horum triplex sit differentia, similaris, organica & communis, primum genus, quod in intemperie est, & febres potissimam continet in duobus libris de diff. feb. ad Gal. exactissime describitur. Curantur vero omnes tum primo lib ad Glau. tum 7.8.9.& 10. meth. med. Morbi vero partium organicarum, & qui particulares dicuntur à capite vsque ad pedes per doctrinam quæ in sex de locis aff. & potissimum in quatuor vltimis exactissima methodo dignoscuntur, curantur vero in lib. 10. de comp. med. sec. loc. libri sanè Aurei, & præ manibus semper habendi, à quo omnes quotquot post Gal. extitere omnem remediorum, & curandi formam desumpsisse videntur. Morbi vero communes, & qui ad externas corporis partes pertinent, & chirurgia cognoscuntur, & curantur 2. lib. ad Glauc. & 2.3.4.5. & 6. 13. & 14. meth. Ergo libri qui semper legendi sunt, quod pertinet ad curatiuam artis partem sunt hij de diff. feb. de meth. med. de arte cur. ad Glauc. de locis aff. de comp. med. sec. loc. atque ij soli libri cum exacta medicamentorum, quæ vsu habentur, cognitione omnibus aliis depositis, si continuo legantur à studioso nostro, qui tamen mediocri ingenio valeat, admirabilis Medicus fiet; legi autem volo non solum bis, aut ter, sed centies & millies. Quod vero pertinet ad artis partem, quæ sanitatem conseruat legere oportet libros de sanitate tuenda, & de cibis boni, & mali succi, & de attenuante victus ratione, & denique artem medicam præcipue in tertia parte, in qua Gal. de causis agit tam conseruantibus quam efficientibus sanitatem, & hæc de Gal. satis, quod vero scribit 6 meto. cap. quarto, neminem debere accedere ad Hyppoc. nisi omnes suos libros antea percurrat, non est recipiendum. hoc enim esset auertere nos ab Hyppoc. lectione, & frustra remorari studiosos.

Iudicium de Cęteris Auctoribus, quos legendos proposuimus. Cap. VI.

DE TRALLIANO.

QVAMVIS vnus Galenus solus in his quos diximus libros satis superque sit, vt vnusquisque bonus fiat Medicus; tamen si quis post Gal.

Gal. lectionem, maiorem perfectionem desiderat, ad Alexandrum Trallianum se conferat. Hic enim curatiuam artis partem ita scripsit, vt quamuis in dignotione affectuum non ita multus sit in illis tamen curandis multa præclara scribit, quæ si quando Gal. contradicunt, digna sunt, quæ recipiantur. In primis. n. 11. lib. morbos internos percurrit à capite vsque ad pedes in 12. & vltimo, artificio mirabili febres omnes curat.

DE HYPPOCRATE DIVINO.

QVOD vero ad Hypp. attinet præclarum medicinę lumen monuit aliquando Gal. medicinæ studiosum, ne ad Hypp. accedat priusquam omnia eius euoluat volumina, sed satis erit eos tantum legisse prius quos diximus, atque notauimus. Libri igitur Hypp. qui præcipue legi debent, omnes sunt, qui commento Gal. sunt illustrati inter quos Aphorismos, & Prognostica volumus, ita studiosus Noster memoriæ commendet, & diligentissima attentione, cũ Pręceptoribus, & expositoribus continuo euoluat. Nam hi libri duo vt exactissimi, & omnibus numeris absoluti, ita se habẽt ad cæteris Hyppoc. libros, vt textus ad glosam; quia & libri Epid. & de Aere, & Aquis, & de morbis acutis, & coacæ, & Prorrhetica, omnes commentaria sunt Aph. & Prog. ac proinde si multam reperiantur in aliis Hyp. libris non exacte scripta, non proptere a statim negãdum est eos Hyp. non esse; quod tamen frequenter facit Gal. quia cæteri libri, quasi seminarium sunt habẽdi, & materia, ex qua profectis postea extrahere erat in animo. Igitur potissimum inter Hypp. libros familiares habere oportet Aph. 5. Prog. Epidemia, de Aere, aquis, de morbis acutis. Ad morbos vero externos curandos de capitis vulneribus, de vlceribus, fistulis, fracturis, & articulis.

DE CORNELIO CELSO.

QVOD vero ad Cornelium Celsum spectat, quippe qui compendiose admodum non minus quam dilucide, & eleganter omnia ad Artem necessaria complexus est, exigit eius Auctoris præstantia, vt totus percurratur præcipue tamen sex vltimi libri, nam in tertio febres, in quarto peculiaria cuiusque membri mala interna scribit; reliqui quatuor ad chirurgiam pertinent; qua in re omnes superare videtur Hic Auctor. Nam in 5. & 6. morbos percurrit externos, qui magis medicamentis, quam manu curantur 7. & 8. illos, qui potissimus manus operam desiderant.

Ex lib. vero Fernelij, quem inter Recentiores legendum volumus, assidue versandi sunt primus physiologiæ in quo Anatomen exactissime describit, 7. patologiæ, seu de passionibus, in quibus omnium morborum tam ex-

ternorum, quam internorum habetur notitia. 7. de medendi methodo, seu præcipue 3. vltimi sunt, & multi alij viri celeberrimi inter Modernos, vt Montanus, Trincauellus, Argenterius, Valesius, Mercurialis; quorum opera Ars ipsa ad summum incrementum peruenisse videtur, ex quibus si non placet Fernelius; aliquem studiosus Noster sibi familiarem facere poterat.

De loco studiis apto. Cap. VII.

LOCVS studiis aptus in primis aerem habeat salubrem, & rerum ad vitam necessariam abundet, & refertus sit Viris in Arte præstantibus, tam in Theorica, quam in Praxi, quorum cum in Italia multi reperiantur, nescio profecto an vllus sit nostro hoc Pisano Gymnasio accommodatior, cum præterquamquod eximia Principis liberalitate viris scatet in omni facultatum genere Celeberrimis, & rerum omnium copia, pace quadam Octauiana fruitur, & temperatissimo aere per Hyemem, adeo vt vix quid sit frigus dignoscatur.

De Institutione Nostri studiosi. Cap. VIII.

QVONIAM omnia, quæ ad Artem Medicam pertinent, & latine, & græce scripta sunt, ideo à teneris annis vtranque hanc linguam callere oportet; græcę vero linguæ peritiam quamuis multum splendoris afferat; non tamen tanti ponderis esse putandum est, vt sine ea optimus Medicus esse non possit. Nam Hyppoc. & Gal. opera omnia, & cæterorum, qui artẽ gręce scripsere, tã fideliter, & eleganter sunt Latinitati donata, vt si quis alia desideret Hydropicos imitari videatur, qui cum sint aqua pleni; Eam tamen perpetuo desiderant. Cęterum Gal. illius sententiæ videtur fuisse, vt nullus possit esse optimus Medicus, qui non sit optimus Philosophus, & Hyp. quoq; Mathematicas sciẽtias, vt Astronomiã, & Cosmographiam, preterea rerũ naturalium peritiã multũ cõferre ad Medicũ scripsit. Verum hij Auctores in ea perfectione Medicum depingũt, quẽ magis admirari, quam imitari liceat. Vnde Celsus istarum rerũ contemplationẽ non facere Medicum scribit, sed aptiorem illum reddere, atque perfectum. In proemio. Sufficiat ergo ex vnaquaque arte quandam habere cognitionem, quæ medicinę inseruiat. Nam earum absoluta cognitio, nec possibilis, nec necessaria censenda est, quare scripsit Hyppoc. hominẽ non esse a Medico cognoscendũ secũdum omnia ipsius prædicata sed comparatũ ad ea, quæ bibuntur, & comeduntur, logicam habere Medicum, qui artem publice profiteri vult necessum puto, quod vero ad Philosophiam naturalem sufficiat eam partem habere,

bere, quæ de principiis agit; vnde secunda, vel aduersa valetudo pronenit, de quibus primo, & secundo Physicorum, libris de generatione, & 4. methereorum ab Aris. agitur sed veniendo ad ea, quæ proprie artis sunt, Empirici Medici, non solum philosophiam vtilem ad artem putant; sed & causas occultas, & internas reiciunt tanquam incertas, externas, & notas amplexantes, Anathomen quoq; viuorum, vt crudelem, mortuorum, vt fędam, & inutilem (quod non eodem in mortuis, quæ in viuis appareant) pariter reiciunt. Sed nec medicæ materiæ vllam methodicam cognitionem necessariam putant, quod sufficiat expertis vti verb. falluntur euidentissime; quia quamuis causæ occultæ vndequaque non cognoscantur, artificiosa tamen coniectura deprehenduntur. Quare dicebat Hyppoc. Medicum non solum ad morbos externos, & manifestos esse paratum; sed ad internos, & occultos; qui quamuis oculis, & tactu dignosci nequeunt; mentis tamen oculis quantum fieri potest apprehendantur. Cęterum mortuorum anathomes, non modo vtilis, sed tam necessaria medico est, vt in hac præcipue, & maxime insudandum sit ei, qui vere Medicus dici auet. Quoniam nec morbos partium internarum dignoscere, nec recta remedia his Adhibere contingit ignorata viscerum positura, connexione, magnitudine, substantia, & figura, ordine, & vsu, quæ omnia sensu iudice magis quam vlla lectione cognoscenda sunt vtilissima tamen ea anotomes censeri debet, qua aperiuntur corpora defuncta ex aliquo morbo, in eo ipso membro cognoscendas internas affectiones. Cuius nullus apud antiquos vsus fuit, nunc magno artis profectu exercetur. Quod vero pertinet ad medicam materiam, & medicamentorum notitiam, tam simplicium, quam compositorum. Cum hęc doctrina amplissima sit, ideo non puto necessarium, vt earum omnium cognitionem absolutam habeat. Sed eorum tantummodo medicamentorum, quæ vsu habentur, & experta sunt; quoniam pauca sufficiant & Hypp. ideo dixit experimentum periculosum, vt moneat medicum ne noua perquirat auxilia, sed paucis, & expertis vtatur.

Lib. de Arte.

1. Aph. 1.

De industria, qua vti debet medicinę studiosus. Cap. IX.

HYPPOCRATES industriam comparauit culturæ agriculę in tractandis rebus ad agriculturam attinentibus; sub hac continetur labor assiduus; nec. n. aliud voluit nos Hyppoc. monere artem longam scribens, & vitam breuem; quam debere Medicum perpetuo studio in arte versari; non sanè, vt fieri solet singulis annis in patriam redeuntibus; discipulis & litterarum curam per quatuor, aut quinque menses dimittentibus, de exiguo illo annorum numero solliciti, qui ad Doctoratus gradum illos perducat, quem postea fraude suffurentur, aut si non assequantur (quod rarissime

sime contingit) ad alias scolas confugiant; quos non pudet hanc notam in se effundere: quod ignauorum Doctorum sunt, veluti asylum. Cęterum sub industria præcipue continetur methodus, per quam verus rationalis medicus dicitur, qui non vt methodicus in vniuersalibus tantum, aut empiricus in particularibus, & experimento quiescit; sed vniuersalia cum particularibus coniungit, & experientia non temere vtitur, sed ad confirmationem eorum, quæ per indicationem fuerunt inuenta. Quamobrem docendum proponimus breuiter, quæ ad vniuersalem medendi methodum pertinent, nec.n. (Gal. docente) fieri potest, vt sine vniuersalium cognitione recte in particularibus te exerceas. Nam curaturus phrenitidem, quæ celebri inflammatio est, prius noscat oportet, quomodo phlegmon in vniuersum curetur; sic de reliquis particularibus.

Rationalis medendi via ab Hypp. primo inuenta à Galeno amplissime aucta, ab Argenterio reducta breuiter explicantur. Cap. X.

HVIVS methodi Hypp. Primus principia, & fundamenta posuit, duas statuens propositiones, quasi per se notas, quorum prima est. Naturalia per similia seruanda esse, ea vero, quæ præter naturam sunt, per contraria esse remouenda; debereq; Medicum ex his vniuersalibus ad particularia descendere; similia, & contraria itaut tam victus, quam medicamenti non solum genus; sed quantitatem, qualitatem, tempus, modum, & ordinem exploratum habeat, non modo ex ratione morbi sed habita ratione temporis regionis, ætatis consuetudines, & partis affectę. Hisce fundamentis Gal. in lib. meth. vniuersalem medendi rationem admirabili artificio, & methodo scripsit descēdens interim ad particularia exempla; quam sanè medendi formam magnæ eruditionis Vir Argenteus melius quam vnquam alius diffusam nimis contraxit & ita exornauit, & auxit, vt dignus sit, qui hac in re cęteris anteferatur, cuius ego vestigia secutus (vt nihil desit instruendo medicinæ studioso Adolescenti) eam ipsam medendi rationem in vniuersum repetere decreui, vt postea in particularibus se quisque exercere valeat. Lib. de colligiandi ratione.

Duo efficit Medicus in ægris, conseruare .s. res naturalis, & auferre eas, quæ sunt præter naturam. Res naturales potissimum sunt vires, in quibus vita consistit, & quæcumque viribus annectuntur, temperiem .s. & habitum corporis, consuetudinem.

Res præter naturam sunt Morbus causa, & symptoma, quæ omnia Medicus cognoscere debet, sed quia cognitio per signa habetur, ideo proponenda sunt loca, vnde summantur signa, & quia seu conseruet, seu curet instrumenta, habere oportet secundum quantitatem, qualitatem, tempus, & mo-

dum recte administrata, indicandum est, qua ratione hęc omnia facile assequamur, incipiendo a signis, per quæ cognitio habetur.

Signa cognoscendi res naturales, & pręternaturam vnde petantur. Cap. XI.

GALENVS *cap. 8. artis medicæ melius, & exquisitius, quam alibi vnquam loca proposuit, ex quibus tãquam è fontibus omnia signa, Medicus desumit. Cum. n. quicquid in affectum est sanitatis, aut morbi, vel pertineat ad eius essentiam, vel accidens vel causam; ideo necesse est omnia signa desumi ab his tribus; & omnia loca signorum ad hæc tria reduci essentiam, causam & effectum; additur analogia, & similitudo signa cognoscendi sanitatem Gal. percurrit loco citato. Ego autem in morbo, vtputa in tertiana, quam si cognoscere vis signum sumes ab essentia; cum dicis calorem mordacem adesse, & primo tactu acrem, postea mitescere; cum vero ex siti, acri amaritudine, vigilia, fastidio ab effectu sumis inditia; cęterum tempus calidum, & exercitium præcedens, temperies victus calida, signa sunt vt causæ; sed si eo tempore grassetur tertiana in populo, ex hoc per analogiam tertiana cognosci potest.*

De viribus in morbis cognoscendis, & conseruandis. Cap. XII.

CVM *vires sint in triplici differentia vitalis. s. Naturalis, & Animalis & radices earum sint Cor, Cerebrum, & Hepar, recte monebat Gal. Medicum, vt horum membrorum statim in primis consideret, & cum signa cognoscendi vires ab eisdem locis petantur, ab operationibus tamen potissimum; Nam robur, aut operationum debilitas virium statum exacte demonstrat, animales ex motibus voluntariis, sensibus internis, & externis; si. n. mente constat æger, si facile vertitur in lecto, decenter iacet, facile respirat, bene videt, & audit, facultas animalis bene valet; si vero contra se habet, Mens vacillat, respiratio offenditur, male iacet, & vertitur, & sentit, languet. Naturalis facultas valet, vbi appetit & oblata concoquit, & excrementa bene habent; Contra vero languet. Cęterum Vitalis facultas robusta ex valido pulsu vultus, & oculorum viuacitate, constante corporis habitu, & bona morbi tollerantia dignoscitur; contra vero languet si pulsus paruus est & debilis, & alia contrario modo habent, & si omnia signa ex vna parte concurrant; facilis est virium dignotio; cum vero discrepant tunc coniectura vtendum, considerando, & numerum, & magnitudinem signorum.*

De con-

De conseruatione Virium. Cap. XIII.

CONSERVANTVR Vires in morbo per rectam administrationem sex rerum non naturalium; sed potissimum per alimentum, cuius recta administratio tāti momenti est, vt ea sola reiecta pharmacia, aliisq; medices præsidiis omnes fere morbi curari possint, & sine vllo periculo. Quare Magnus Asclepiades, quod hac ipsa dieta curaret, a Deo dimissus ad salutem mortalium putaretur, sed administratio victus in ægris, & potissimum in acutis morbis tantæ difficultatis est, vt nulla de re magis inter se Medici pugnantes fuerint. Quidam.n.fame, & inedia trium & quatuor dierum plurimos interficiebant ægros. Alij vero, vt Petrona replebant eum non minore pernicie. Vnus solus Hypp. diffusissime in lib. acutorum; sed angustissime primo aph. quanto humano ingenio fas est; rationem docet conseruandi vires in egris per alimentum, & reliqua, eam esse debere, cum qua vires vsque ad morbi vigorem seruari possint, sine morbi augmento, quare & ptisanam, & mulsam & oximel, & aquam, & vinum, quando & quomodo in morbis acutis exhiberi debeāt scripsit, imo potius ex oraculo literis prodidit; esseq; procurandum virium conseruationem in morbis acutis per coctionem potissimum; quam parcissimo alimento, quiete, vnctione, clystere, somno, strato molli procurat, & ita mitissime tractandos ægros, non vt Prodicus, qui fame, & exercitio necabat, nec vt Asclepiades (referente Celso) pugnans contra febrem ipsamet febri, siti, vigilia, & inedia; hac ergo ratione cognoscuntur res secundum naturam, & seruantur in ægris; Nunc de his, quæ præter naturam sunt dicendum.

De rebus pręter naturam, ac primo de morbo. Cap. XIIII.

MORBI dignotio includit eius essentiam, species, differentias, & partem affectam, de quibus omnibus dicendum est. Et quod ad morbi essentiam attinet; Morbus dicitur affectus seu constitutio pręter naturam à qua primo leduntur actiones sensibiliter; sicut sanitas constitutio secundum naturam dicitur, a qua bonæ proueniunt actiones; quę sanitatis diffinitio, vt principium est in arte medica, & desumitur ex communi omnium consensu; cum omnes sanos fateantur eos, qui sine noxa sua opera efficiunt; ægrotare vero illos, qui cum insigni operum offensione degunt. Nec potest dici operatio morbus, cum ea cessare possit sine morbo, vt ambulatio & loquela in pueris, ergo essentia sanitatis, & morbi in constitutione consistit, & non in opere. dicitur autem morbus constitutio præter naturam quia naturam destruit; dicitur primo lędere actiones ad differen

tiam causæ morbificæ; quæ mediante morbo actionem lędit, vt in oculo, si adsit suffusio in pupilla, adest visionis impedimentum, quod est lęsa operatio, & symptoma dicitur, obstructio vero, quæ à nebula fit morbus; nebula vero ipsa, seu humor crassus obstruēs .s. causa morbi; sed visio impedita immediate prouenit ab obstructione, quæ morbus est, secundario vero ab humore obstruente, quæ causa morbi est; dicitur autem, morbus actiones lędere sensibiliter, hoc est vehementer, quia actio non valde lęsa morbum non constituit, vt in neutris; sed nec valde lęsa constituit; nisi sit præter naturam, vt ablata ambulandi actio in puero bimestre.

De speciebus morborum. Cap. X V.

MORBI species tot sunt, quot sanitatis; sanitas autem triplex est, Alia partium similarium, Alia instrumentaliam; tertia communis ambabus; ita etiā & Morbus dicitur, vel similaris, vel organicus, vel communis. Iterum Morbus similaris, seu in parte vniforme, vel pertinet ad intemperiem quatuor qualitatum; vel ad formæ corruptionem; quam appellat Gal. à tota substantia; addiderunt Fernelius, & Alij morbis partium similarium, tertiam speciem, quam appellant materiæ, concernentem duritiem, mollitiem, densitatem, raritatem, & cęteras secundas qualitates. Intemperies vel simplex est, vel composita, & vtraque vel cum materia, vel sine materia, quæ distinctio quanuis sit valde communis à paucis tamen intelligitur; eam tamen optime explicat Auicenna appellans intemperiē sine materia; cum corpus (vt illius verbis vtar) qualitate nō afficitur propter humorem in ipsum penetrantem, vt calefieri ab igne, vel refrigerari a niue cum materia vero intemperies dicitur, quando corpus qualitate afficitur propter vicinitatem humoris in ipsum penetrantis; vt cum ex pituita refrigeratur, aut ex collera calefit; sub morbis à tota substantia continentur omnes maligni, & pestiferi. Cęterum morbi partium instrumentalium quadrifariam diuiduntur; quia vel pertinent ad formationem, vel magnitudinem, vel numerum, vel situm partis. Rursus formatio continet figuræ vitia, vel meatuum, vel cauitatum, vel superficiei. Magnitudo vitiatur vel ad excessum, vel ad defectum; sicuti & Numerus quando vel deficit Totum membrum, vel abundat aliquid, seu secundum, seu præter naturam. Situs continet consensus partium, vel positiones immutatas. Morbus autē cōmunis partibus similaribus, & organicis dicitur solutio cō tinui, quæ multas habet species desumptas, vel à parte affecta, vel à causa efficiente; vt Vulnus in carne, Fractura in osse, Contusio in musculis, Ruptura in ligamentis, & membranis, Auulsio in neruis. Hæc de morbi essentia, & illius speciebus breuiter dicta sint. Nunc de illius differentijs agendum est.

Libro primo, fen. prima de complexionibus.

De

De Morborum differentiis. Cap. XVI.

NON est opus, vt hic traducamus omnes morborum differentias; sed eas tantummodo explicemus, quæ præcipue Medicos angunt, & indicationes conscribunt; quorum Prima ad magnitudinem, & paucitatem pertinet, de qua (cum tamen satis vulgaris sit) vix quidpiam distinctum reperitur. Dupliciter ergo Morbus dicitur magnus, vel paruus, ratione suiipsius, vel ratione alterius; ratione suiipsius dupliciter cōtingit, vel in genere, vel in specie; & pōt vnus morbus magnus esse in specie nō tamen in genere, sic dicimus tertianam magnam, quæ magna affert symptomata in sua specie; quamuis nec in genere nec absolute tertiana magnus morbus sit. At apoplexia, quæ fortis est, vtroque modo magna dicitur, & quia absolute, & in genere talis est, & quia in specie magna affert symptomata, itaut dicatur morbus magnus, qui magna affert symptomata, vel in genere, vel in specie, sicut paruus è contra. Sed quia magnitudo symptomatum, vel talis est, & talis apparet, vel denique quamuis talis sit non apparit, ideo dicitur morbus magnus secūdum alteram significationem illę qui malignus est, & obscurus. Cęterum Morbus magnus dicitur in ratione alterius vel partis præstantiā, vt phlegmon Iecuris, cum tamen phlegmon in se magnus morbus non sit; sicuti quando Malignus est ob naturam partis, vt punctura in articulo; quæ omnes morbi magnitudines magna remedia indicant, vt missionem sanguinis, & purgationem; ea raturæ, qua magnus morbus magna auxilia requirit, & inter magna auxilia prædicta duo recensentur. Secunda differentia, quæ & ipsa principalissima est, illa dicitur secundum quam dicitur acutus, vel lentus, & dicitur morbus acutus, qui cęleriter terminatur & grauis est cęleritatis causa est symptomatum magnitudo, & morbi grauitas. Sed quoniam ista cęleritas exacte scribi non potest; aliquando.n. intra quatuor dies terminatur, & dicitur morbus exacte peracutus; aliquando intra septimum, & dicitur peracutus non exacte; aliquando ad decimumquartum diem peruenit, & dicitur acutus simpliciter; quem terminum posuit Hypp. in acutis morbis, quasi vltimum. Nam acuti qui decimumquartum diem transcendunt non iam vere tales, sed ex decidentia dicuntur; quorum vltimum terminum in prognostico quadragesimum statuit. Cum igitur dicatur morbus acutus, qui cęleriter terminatur, & causa cęleritatis sit magnitudo symptomatum ergo idem erit cum magno; nō tamē ita est, quia magna symptomata cū statim insurgunt, morbū acutū faciunt, quæ vero paulatim nō acutū sed lentum, vt in Hydrope, & thabe. Hęc differentia quantum faciat ad vitæ rationem instituendam primo lib. aph. explicauit Hypp. sumens species victus in ægris secundum species acuti morbi, & primo Acutorum eum extollit Medicum, qui in morbis acutis

præ

præ cęteris excellit. Tertia differentia quæ concernit maxime curationem, est illa, qua dicitur solitarius aut comitatus; solitarius dicitur morbus, qui non habet, vel causam, vel symptoma, vel aliud quidpiam curationem impediens, vt Hectica. Comitatus vero, qui secum adiunctum habet aliquid, ad quod respiciat Medicus oportet; vt vlcus cum phlegmone, aut dolore. Quarta Differentia, quæ vel in primis consideranda est, illa venit per quã Morbus dicitur esse in aliqua parte per essentiam, aut per consensum. per essentiam dicitur esse cum ita adheret vni parti, vt ab alio non pendeat, sicuti per consensum quoties ex alia parte venit. Sicut suffusio in oculo ex vẽtriculo. nec.n. possumus in eo casu sanare oculum, nisi ventriculus prius sanetur. Est & quinta Differentia, quam Medici cum quarta confundunt qua dicitur morbus primarius, aut secundarius, quasi idem sit morbus per essentiam, quod primarius, & per consensum, quod secundarius, cum tamen morbus per consensum vere in actionibus animalibus contingat; in cęteris autem potius secundarius dicatur quam vere per consensum. Cęterum consensus fit, vel per vaporem, vt obscuratio oculorum a ventriculo; vel per qualitatem quandam, sicuti conuulsio ex morsu alicuius membri; vel per sympatiam quandã sicuti cõmunicantur affectiones septi transuersi cerebro potius quam à ventriculo; denique fit vere consensus deficiente materia, aut facultate; sic amittitur vox thorace confosso, & sensus in manu ab affectu spinæ. Sunt & aliæ differentiæ, quibus dicitur morbus vnus aut plures, simplex, aut compositus, & denique occultus, aut manifestus. Dicuntur autem Morbi occulti interni, qui in visceribus latent. Manifesti vero, qui ad superficiem vergunt, sed quoniã curatio tantum differentia cu ratione (Gal. teste) quantum pars à parte, ideo debet Medicus in primis cognoscere, quæ pars afficiatur; id vero præcipue in partibus internis, quia partes externæ sensu dignoscuntur; internæ artificiosa indigent coniectura de qua Gal. optime in lib. de membris passis diffuse scripsit reducens ad quatuor loca signorum omnes notas dignoscendi partem affectam. s. ab actione læsa, ab excrementis, a dolore cum positu & à propriis accidentibus. Quorum actio lesa primum obtinet locum; sic ex lesa visione oculum lędi cognoscimus, excrementa sue sint pars membri, seu in ea contineantur secundum, vel pręter naturam partem indicant: primo modo cum bronchium seu corpus cartilaginosum educitur à pulmone; secundo modo si per vulnus vrina exeat, tertio modo si veluti pili in ea appareant renes patiuntur; doloris quoque situs, atque differentiæ sub quibus tumores comprehenduntur partem indicant lęsam; vt dolor synistri hypocondrij cum tumore lęsum indicat lienem. Propria accidentia partem quoque demonstrant, vt vngues adunchi pulmonem affectum indicant, & genæ rubentes cum febri, & difficultate spirandi eundem pulmonem pati declarant. Cognita parte affecta, vtputa laborare pulmonem, debet cognoscere Medicus affectum, seu

Primo de loc. aff. c. primo.

speciem

speciem affectus; id, quod eadem signa ostendunt, vnde sumuntur propria cuiusque symptomata. Cognita parte affecta, atque affectu ad causam se conuertit Medicus, quæ per sua signa dignoscitur ex eisdem desumpta, addendo tempus, regionem, ætatem, consuetudinem, temperiem, & corporis habitum, parentes, colores, somnos, & mores, atque hæc de morbo dicta sint. Nunc de causis dicendum nobis est.

De causis Morborum. Cap. XVII.

IN causis primo inuestigandum, quod genus causæ sit; deinde cuius differentiæ, & eius modus. Cum itaque apud Philosophos sint quatuor genera causarum, materia, forma, efficiens, & finis. Ex his Medicus tantum modo considerat causam efficientem; morbi.n. nulla est Forma; cum accidens quoddam sit; nulla materia, nisi subiectum in quo, nullus finis, cum sit imperfectio quædam; consideratur itaque tantummodo causa efficiens à Medico; quæ vel est externa, hoc est vel extra corpus, vt aer ambiens, & ensis, aut interna, quæ in corpore consistit, quæ adhuc bifariam diuiditur; vel.n. dicitur euidens, & manifesta, vt ira febrem faciens, aut occulta, vt bilis tertianam gignens. Quare sub causæ procatarticæ seu euidentis nomine non solum causa externa intelligitur, sed quæ in corpore est nota, & nunc primum agere incipit, quod dicitur ad differentiam causæ occultæ, quę sensim, & paulatim operatur quam appellauit Hypp. spontaneam. Rursus causa interna obscura, vel dicitur antecedens, vel coniuncta. Coniuncta dicitur, quæ immediate effectum excitat, vt putredinem. Cæterum sub causa coniuncta continetur etiam illud genus causæ efficientis; quam ita coniunctā cum affectu statuit Gal. vt ea ablata statim auferatur affectus, non tamen è contra, vt nonnulli male putant; hanc reperire aliquando in morbis non est dubium, non tamen in omnibus, sed in his, quæ essentiam sui habent ita fluxilem, vt (seu sint entia successiua, seu permanentia) statim decidant circuncisa causa, vt lux corpore luminoso sublato. Materia tamen, & forma causæ dicuntur continentes semper eius rei, quam componunt. Cęterum causæ internæ, & occultæ humores comprehendunt, excrementa, & spiritus, quoties mutantur, & quiescunt, aut mouentur pręter naturam. Modus operandi in causam est vel per se vel per accidens, actu, vel potentia, mediate, vel immediate. Vbi vero vnius morbi plures sunt causæ a primo vsque ad vltimum resolutio facienda est; hæc de causa mox de symptomatibus dicendum.

De sym-

De ſymptomatibus, ſeu morbi accidentibus.
Cap. XVIII.

SYMPTOMA dicitur quicquid morbum ſequitur. Quod trium eſt generum vel.n.pertinet ad actionem læſam animalem, vitalem, & naturalem, vel ad excreta, & retenta, vel ad corporis affectus. Dolor vero aliquando reponitur a Galeno inter actiones læſas, non quod in dolore ſenſus fallatur; ſed quia corrumpitur, aliquando quartum genus ſymptomatum ponitur, quoniam actio in dolore non proprie læſa dicitur. Symptoma rurſus alia diuiſione bipartitur; quia vel conſideratur a medico, vt ſignum, vel vt cauſa vires debilitans: primo modo non requirit medici opus; quia ablato morbo aufertur; at ſecundo modo requirit, vt vigilia, & dolor, quę, quia vires debilitant mitigari debent. Cum vero ſymptomata, vt ſigna conſiderantur variam conſiderationem habent, quia vel ita ſequantur morbum ab initio, vt eum comitentur ſemper, & patognomonica dicuntur, vel poſtea apparent, quę aſſidentia nuncupantur, quorum aliqua dicuntur coctionis, & cruditatis ſignificantia, alia critica, alia mortalia, vel ſalutaria, quia ſalutem, aut mortem ſignificant.

De ſcopis, quos in operando Medicus habere debet.
Cap. XIX.

COGNITIS rebus naturalibus, & his quæ præter naturam ſunt, illæ vt conſeruentur, hæc vt remoueantur; ſequitur vt doceamus qua ratione id fieri debeat; quod duplici via conſequi oportet ſcopis quibuſdam propoſitis, & inſtrumentis, quibus ſcopi facile perficiuntur, & vt à ſcopis incipiam, Primus eſt quo quærit Medicus an aliquid facere debeat; nec.n.omnes morbi curari poſſunt. huc pertinent quæcunque Hypp. ſcripſit in prognoſtico ad prædicendam ſalutem, vel mortem, comparando vires ad morbum. Secundus ſcopus conſiderat quid ſit agendum, quod eſt genus remedij inuenire; id quod deducitur à duobus propoſitis principiis, vt conſeruentur quæ ſecundum naturam ſunt per ſimilia, & remoueantur non naturalia per contraria, in refrigerando aut calefaciendo.

Succedit huic tertius ſcopus, qui auxiliorum materiam continet, qua ſecundus illę ſcopus commode fieri debet, vt ſi eſt vacuandum, aut replendum ſit, debet materiã inuenire in particulari qua id commode fieri poſſit. Hic ſcopus continet remedij qualitatem. Cęterum auxiliorum materia a quatuor fontibus petitur.ſ.ab his, quę aſſumuntur, admouentur aguntur, expelluntur, & retinentur. Succedit quartus ſcopus, qui auxilij quanitatem reſpicit, quæ duplex eſt magnitudinis numeri, vt ſi vires ſeruandæ

ſint

sint in ægro tali alimento quæritur eius quantitas, tum quo ad molem, tum quoad numerum; qua de re Hypp. primo aph. coniecturam tradidit qua Medicus cõseruandarum viriũ metam attingat vsq; ad morbi vigorem, habita ratione roboris, morbi, habitus, consuetudinis, temporis & ętatis; quare aliquando tota ptisana, aliquando succo eius, quandoque potu melicrati, aliquando autem sola inedia, commode in nutriendis ægris vtitur. Cęterum quantitas auxilij in pellendo morbo à quantitate primo ipsius morbi desumitur. Magnus. n. morbus magnum postulat remedium, & extremus extremum. Sed adducere in considerationem semper oportet, vires, habitum, temperiem tempus ætatem, & cætera quæ coarctant auxilij molem. (Nec Gal. ipso teste) alius est scopus, qui artem medicam magis dubiam faciat, quam hic, qui quantitatem metitur. Quintus scopus ad tempus operandi pertinet, seu occasionem, cuius oportunitas vel intempestiuitas tanti momenti est, vt omnes alij scopi ab ipso pendeant, & præcipue, qui ad quantitatem pertinent, vnde dicebat Gal. in arte medica tempus sub quantitate, & qualitate contineri. Quod vera remedij quantitas, & qualitas nulla haberi possit nisi apto tempore fiat. Sextus scopus modum continet, quo remedia adhibeantur, vt an confertim, vel paulatim vacuandum, & per quem locum, additur his ordo, vbi plura facienda sunt, quod prius, & quod posterius agendum, an omnibus simul succerendum, qua in re dicebat Gal. considerandum esse quid sine quo, quid cum quo fieri oportet; habendamq; esse rationem eius, quod magis vrget, altero non neglecto. Hæc de scopis nunc de instrumentis agamus.

De Instrumentis inueniendi remedia. Cap. XX.

INSTRVMENTA, quibus Medicus remedia adinuenit sunt, ratio, & experientia; experientia dupliciter facit ad remedij inuentionem, vel quando nulla potest haberi ratio effectus, vt cum vipere æsu lepram curamus, & betzoraticis febrem pestilentialem; cuius nulla haberi certa ratio potest, cum ab occulta proueniat proprietate. Alio modo cõfert experientia ad auxilium. s. confirmandũ, quod per rationẽ fuit inuentum; qua ratione experientia vtitur, Rationalis Medicus, non Empiricus; Nam experimentum ratione indiget, non solum qua inueniatur, sed postquam inuentum est; tum quod multi mentiantur turpiter remedia, vt experta proponentes; tum quia similitudines, errores Medicis imponunt; vt scripsit Hypp. vt in colico, & nephritico, requirente causa cuiusque, & occasio contrariam curationem. Cęterum ratio seclusa omni experientia per indicationem à propria rei natura remedia adinuenit, qua qui vtitur seu sit in morbo nouo, seu in agro, seu in mari, seu deserto loco semper prompta auxilia habebit. Hæc ratio non solum remedium inuenit, sed 6.Epid. 8.

Lib. per loca. eius commodum vsum. Nam (vt recte dicebat Gal.) auxilia medica si quis dicat nihil esse, eademq; diuina, & Deorum donũ profferat rectè sanè vtrunque; quia temere adhibita nihil efficiunt; commode autem, & vt decet Dei manus appellantur. Qui igitur per rationem progreditur indicationes su nit ad conseruanda naturalia per similia, ea vero quæ præter naturam sunt, per contraria, vt adest repletio, ergo vacuanda, adest febris ergo refrigeranda, cum vere indicantia sint vires, & morbus addit his reliqua, quę minus proprie indicare dicuntur, aut repugnare, tempus. s. regionem, ætatem, consuetudinem, & reliqua eius generis, quibus consideratis vtitur postea experimento ad maiorem confirmationem eorum, quæ per rationem fuerunt inuenta. Cęterum non sine magna vtilitate dubitare contingit, an è duobus medicis; Altero theorico, & Docto; Altero practico, & experto, quia magis ad curandum conducit. Et quanuis communis opinio sit expertum Artificem valere magis ad operandum, id tamen absolute si sumatur falsum est. Nam, quæ artes multo sensuum habitu constant, & pauca theorematum cognitione, melius opere, & exercitio, quam lectione, & studio comparantur. At quæ à contrario multis theorematis, & sensuum habitu pauciori è contra lectione magis perficiuntur: Quare inter partes Medicinæ chirurgia, & anathomes longa magis actione, quæ auditu, & libris comparatur reliquæ vero partes, quæ ad Medicum Physicum attinent, magis librorum, quam operum diligentia perficiuntur. Hęc satis dicta sint de industria illa, quam desiderauit Hypp. in suo Medico; per quam instructus ad curandos morbos in particulari accedere debet; & nos ea in curandis, & dignoscendis febribus applicabimus post quam de aliis conditionibus pauca dixerimus, quæ tempus, & peregrinationem respiciunt.

Ex duob' medicis qui præstet.

De Tempore. Cap. X X I.

TEMPVS, vt dicebat Hypp. omnia corroborat, & perficit, & cum Medicina Ars sit longa, non potest Medicus fructus edere, & proficere in arte nisi ad multum omnino tempus. Artem. n. Medicum cito addiscere impossibile indicauit Hypp. non. n. iuxta vnum modum, vt aliæ Artes operatur; sed aliquando per similia, aliquando per contraria, & tot tamq; vasta continet, & tot aliis artibus est anexa, vt vix post tot annorum secula ad perfectionem sit reducta. Hinc Gal. maledictis insequitur Tessalum, qui se traditurum artem profitebatur sex mensium curriculo; qua facilitate alecti sartores, texores, fabriq; relictis viribus opificis, ad artem sacratissimam se conferebant in perniciem humani generis. Nam quanuis separes à medicina philosophiam, anathomem, medicamentorum exactam notitiam quamuis causas abditas, quod Empirici faciunt; quanuis

De locis in homine.

4. Metheo.

cum

cum metodicis ad communitates concurras, fluxum.ſ.& laxum mixtamque nihilominus longa admodum Ars cenſenda ſit; Cum (vt recte ait Celſus) compreſſorum, & fluentium morborum genera diuerſa ſunt, faciliuſque id in his, quæ fluunt inſpici poteſt. Aliud.n.eſt ſanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere, aliud deiectionibus, aliud torminibus laborare, aliud ludere digeri, aliud tabe conſumi; atque in partes quoque humor erumpit, vt in oculos, aureſque, quo periculo nullum humanum membrum vacat; nil autem horum ſic vt aliud curatur, ita protinus in his a comuni fluentis morbi contemplatione ad propriam medicinam deſcendit; denique quanuis nudam accipias medicinam, & contractam, illa eius longitudinis euidentia ſunt teſtimonia, quæ ſcripſit Hypp. occaſionem præcipitem experimentum periculoſum, & iudicium difficile, quæ vt aſſequatur Medicus diu multumque inſudet oportet, & in bonorum Auctorum lectione, & perpetua ægrorum viſitatione.

In proemio. » » » » »

Aph. 1. primi lib.

De Peregrinatione. Cap. XXII

CVM Medicus naturam, doctrinam, inſtitutionem à Puero, locum ſtudiis aptum, induſtriam, & tempus idoneum habuerit, denique per Vrbes ambulando (ait Hypp.) non ſermone tantum, ſed opere Medicus haberi conuenit; quaſi addens peregrinationem tanquam perficientem medicum. Et ſanè omnes quotquot extitere inſignes Medici, ac Philoſophi, poſt multarum regionum peregrinationem ſapientia inſigniores ſunt habiti. Nam præter oneſtiſſimam peregrinationis voluptatem, hominum formas cognoſcimus, varia remedia; regionis ſiquidem contemplatio in quauis medici operatione conſideranda eſt. Aliter.n.curandus Hiſpanus, aliter Gallus, aliter Germanus, aliter Africus; vix.n.in Egipto, vt (ait Celſus) & in Africa vnius diei abſtinentiam ferunt ægri; Romæ curabant, (vt ait Gal.) capitis vulnera per humida, Græciæ vero per ſiccantia pharmaca, in Hiſpania febrientibus ſingulo quoque die ſanguinem toties mittunt, quod ad morbus declinat; quod ſemel aut bis in Italia fieri videmus. Cęterum quot morborum genera, quot remediorum ex India tum Orientali, tum Occidentali prouenerint Storta Noſter, & Monardes copioſiſſime ſcripſerunt. Nemo.n.noſtrum non expertus eſt quotidie, ac experitur ligni guaiaci, Cinæ radicis lapidis betzoartili virtutem, aliorumque medicaminum ad ſalutem humani generis repertorum Refert Barrius Noſter, qui orientalis Indiæ hiſtoriam Luſitanice conſcripſit, hominē Indicum à noſtris multis vulneribus, hiſq; mortalibus confoſſum, ne ſanguinis guttam emiſiſſe, quoad anulus quidam oſſeus, quem manu gerebat extractus eſt quo inſtante ſanguis effuſus eſt, & extinctus homo. Cæterum Hypp. in libro de aere, & aquis tam diligenter & accurate ea ſcripſit, quæ ad regiones atti-

Lib. de lege.

nent, vt eo ipso libro possit Medicus pro multis peregrinationibus vti. Hæc satis pro Iuuene instruendo dicta sunt. Nunc casus proponemus particulari methodo, ad propositum nostrum accedentes febrium omnium curandarum, qua methodo se vnus quis exercere valeat.

FEBRIVM OMNIVM CASVS, In consultationum Formam discutiuntur, ac curantur.

CAP. PRIMVM.

Tertianę exquisitę, Intermittentis Casus, ex Galeno x. methodi, cap. 3. desumitur. Casus sic.

Primus Casus.



DOLESCENS annorum 25. temperie calida, & sicca, habitu corporis gracili, & musculoso, curis, ac laboribus agitatus, in media æstate hora diei vndecima post lassitudinem, rigore corripitur valido carnes pungente, ac totum corpus concutiente; quo per horam durante, calor successit acer, ac siccus, cum pulsus magnitudine, celeritate, & frequentia insigni, sitis aderat, inquietudo, capitis dolor; hora quarta à rigore biliosa vomuit, octaua sudauit, vndecima febris in totum decessit; nec aliquod putredinis, aut febris signum in pulsu euidēs relictū est, vrina ruffa, ac tenuis; quæritur morbi natura, & curatio.

Dignotio.

Q*VANTVM ex allatis signis colligi potest febris tertiana est, eaq; simplici exquisita, intermittens in genere putridarum; Causa bilis flaua, non modo superuacua, sed æstuans circa caua Iecoris fellis vesicam, & loca propinqua; quę naturam irritans per sensibiles delata corporis partes rigorem, ac febrem accendit.*

De Scopo primo. An Medicus aliquid facere debeat.

F*EBRIS proposita mitis, ac salutaris cum sit, neque quartam, aut quintam accessionem sit transgressura, per vomitū, & sudorem (quod*

sanè

ſanè apparuit à natura) nulla Medici ope curabitur; ſed quia ex errore, ſeu ægri, ſeu Medici præſertim in victu timor eſt, ne ſyncopis corripiat, vel in hecticam, aut continuam degeneret; ideo Medici operam deſiderat.

De ſecundo ſcopo, quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vſu.

DVO in hac febre, ſicut in omni alio morbo ſe offerunt, quæ medici opus poſtulant; alterum ſecundum naturam, nempe vires, quæ ſui conſeruationem deſiderant; Alterum præter naturam Morbus, cauſa, & ſymptoma, quæ ſui remotionem indicant, & vt ab his incipiamus; Morbus nempe febris attemperationem poſtulat per frigida, & humida, bilis coctionem, & expurgationem, ſymptomata, vt ſitis, æſtus, capitis dolor corrigenda ſunt quamuis hæc vix quicquam vrgeant, & ſedato morbo in totum auferantur. Quinque egitur facienda vires conſeruandæ, febris attemperanda, bilis coquenda, & expurganda, & ſymptomata lenienda, de quibus ſigillatim dicemus.

De conſeruatione Virium.

VIRES alimento potiſſimum ſeruantur; id vero cum in omni febri tum in hac frigidum & humidum eſſe debeat, & tale vt æger cum eo peruenire poſſit ad morbi vigorem ſine virium inſigni iactura; erit autem optimus cibus ptiſſana bis in die ſumpta cum lactuca vel cucurbita coctis, hora cibandi cum iam febris in totum decedit, vel etiam antequam declinet, & ſtatim prima die; quia his naturis, (vt ſcripſit Gal.) optimum remedium eſt nutrimentum; cum vix ſine eo ad infebricitationem proueniant, & ipſemet Gal. timens ſyncopim in hoc ægro, non ante acceſſione; ſed in ipſa acceſſione cibauit; coactus.ſ. Nam quod ſcripſit Hyppoc. abſtinendum in acceſſionibus, in hoc caſu exceptionem patitur. Quare valeant Diatritarij Medici, vt Prodicus, qui febricitantes interficiebat fame, inedia, & laboribus; valeat Aſclipiades, qui referente Celſo tortoris vicem gerebat, pugnans contra febrem, ſiti, vigilia, & inedia, quare ſcripſit Hyppoc. cum gracilem calor vrit tumidum facere oportet, & nutrire, & curans tertianam, libro de affectionibus, in acceſſione ait cibo & potu nutrito. Cęterum ſingulo tertio die minus nutrire oportet, quam in intermediis; potus aqua ſit cum Iulapio ex decoctione hordei vſque ad coctionem, qua apparente vinum pauciferum concedi poteſt & amplius in declinatione; quo victu ſi tractetur nullo alio præſidio adhibito Morbus quintam acceſſionē, vel ſeptimā non traſcendet.

6. Epid.

Lib. ter. De locis homine.

Gal.

Gal. ergo in curando hoc Iuuene sola ratione victus, & balneo vsus est; quod si vsque ad septimum decimum producta in eo fuerit id factum esset ex errore; & quia exquisitæ tertianæ formam omnino non seruauerit. 10. meth. c.3. *Ego vero non eam depinxi prorsus, vt vbi iacet, quia formam exquisitæ tertianæ proposui; Cum vero de syncopali febre agemus ad verbum describitur.*

De attemperantibus, & coquentibus.

QVAMVIS *solo victu febris hæc curari possit, ad maiorem tamen abundantiam reliquas percurremus intentiones. Cæterum quæ attemperant bilem coquendi facultatem habent reducendo humorem ad temperiem.* 8. Lib. ad Gl. *Conuenit autem in hac febri magis attemperare, quam euacuare; attemperantia laudat Trallianus melopopones pulpam ante accessionem datam; & postea aquam tepidam; quo auxilio probibuisse accessionem affirmat; parari quoque poterit in eamdem intentionem syruppus, qui habet acetosi simp. onc. 1.5. decocti acetosæ, graminis, cichoreæ adiāti ℥ iiij. fiat syruppus summendus in aurora frigidus Hypp. n. æstate frigidas potiones dabat, hyeme calidas.* 9. lib. Acut. *Inter attemperantia balneum dulcium, & tepidum aquarum à Galeno maxime laudatur; verum non nisi postquam coctio apparuerit, & febris remittetur; quamuis Trallianus in his, qui valde extuantia, etiam à principio admittat. Cleophantus, referente Celso in hac febre multa calida ante accessionem caput ægri perfundebat; deinde vinum dabat; quam curandi rationem iure merito, nec admisit Asclepiades, nec Hypp. præcipiens, quod si febris non sit ex bile orta, multa calida caput perfundatur.* 7. Aph. 42. *Gal. intelligit ephemeras febres. Oribasius etiam in hecticis, at etiam in tertianis, sed in declinatione, ea perfusio vtilis iudicanda est; nullus. n. ferè est morbus, in quo capitis præcipue respectum non habeat Hypp. & præcipue cum ex eo morbus originem ducit. Nam & in ictericis, & dysentericis caput purgandum monet habet etiam capitis lotio, eam cōmoditatem; quia perfusiones eius totum corpus peruadunt. Cæterum nostris temporibus balnei vsus in ægris aboleuit; poterimus tamen tina vti. Inter coquentia quoque ponuntur lenes chysteres somnus vnctiones ventris, & stomaci, sed hæ non nisi euacuato corpore.*

De his, quæ bilem euacuant.

SANGVINIS *missio, licet in omni febre putrida comēdetur, in casu tamen nostro, & corporibus gracilibus non conuenit, cum nec aliqua morbi acuties, nec valida, vel obstructio, vel putredo vrgeat; sed bilis ardor, qui sanguine lenitur; vacuanda ergo est bilis leniter, in principio*

accessionis per vomitum, aut per tepidam aquam mulsam, vel per ptissanam; in vigore vero eadem ptissanæ calidę potione; diebus vero intermediis leni clysteri aluus moueatur, qui recipiat aquæ hordei lib. I. olei violacei vnc. iij. sacchari rubei ℥ I salis ℥ ij. apparente vero coctione in vrina, bilis hoc medicamento leniter vacuanda; nec. n. fert hæc febris valida medicamenta, ℞ Reubarbari electi ℨ ij. spicę, cinamomi an. ℈ ij. infundantur secundum artem, & facta expressione adde, syruppi rosati solutiui ℥ iij. decocti florum, & fructuum quantum sufficit, fiat potio summenda in aurora. Cęterum Gal. mirifice laudat in hac febre, vbi coctio apparet, absynthi comam ex mellicrato sumptam quæ tamen in casu nostro cum Alexandro Tralliano reprobatur; nec. n. ob calorem his naturis, vel febribus conuenire videtur, sed magis spuriis tertianis, & habitibus pituitosis.

De symptomatis leniendis.

SITIS *valde affligere solet febricitantes, & de potu magis cum illis, quam de cibo pugna est; sed in accessione abstinere oportet, & præcipue in principio; in vigore tamen vel in declinatione data potione hordeaceæ aquæ cum iulapio violaceo, & limonis succo sedatur; interim fallenda sitis his, quæ linguam madefaciunt, & lotionibus. Ardor vero, & ęstus aere refrigerato frondibus, irrigationibus subterraneo decubita temperatur. Itemque si pręcordia refrigerante Galeni vnguento illineantur, & frons, ac tempora oxirodino; quo ingenio capitis dolor leuitur & somnus conciliatur; nullis autem vestibus strangulandus est æger, ne suffocetur.* 6. Epid.
Quare Hypp. calidis hisce naturis frigidum cubile, quietem, & aquæ potum pręcipiebatur.

CAP. II.

Causonis, seu febris ardentis exquisitę casus. desumitur ex Hypp. lib. 4. acutorum.

VIR *ætatis annorum 35. gracilis habitu, & hirsutus, magnis venis,* 2. Casus.
in diebus caniculæ, sub sole equis depositis iter fecit, sitimq; passus est intensam, hora prima noctis in febrem incidit sine rigore, cum acerrimo, & æstuante calore in præcordiis, inquietudine, respiratione difficili; tota nocte vigilauit, & per interualla delirauit, sitis ingens lingua sicca scabra palida; oris amaritudo, secunda die eadem, biliosa liquida per interualla deiciebat, pulsus magnus cęler & frequens, vrina ruffa, tenuis, quæritur natura morbi, & curatio.

Dignotio.

Dignotio.

QVAE sit natura febris propositæ satis aperte deprehenditur; est n. Ardens exquisita continua, & peracuta; causa bilis est flaua, non modo in magnis venis circa Iecur, & ventriculum aceruata, sed in paruis etiam, quæ (vt ait Hypp.) ex itinere, & siti acres & serosas ad se attraxerunt humiditates; quare totus sanguis biliosus factus ex adustione magis quam ex putredine febrem peperit, & quasi crisipelam vniuersalem fecit.

4. Acutorum

De primo scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

CVM febris magna sit, continua, valde acuta, & magnos affert labores in magno periculo versatur æger; terminabitur vero intra septimum diem, nec decimam quartam transcendet; an vero ad bonum vel ad malum ex accedentibus signis diiudicabitur magis, verisimile autem est si ad bonum res tendat eam alui fluxu terminari cum iam natura eo humores transmittat.

De secundo scopo, quid Medicus facere debeat, deq; commodo remediorum vsu.

VIRES, quę secundum naturam sunt sui conseruationem postulant; Morbus, & causa quia calida & sicca attemperantia, bilis pretereà coctionem, & expurgationem; inter symptomata sitis, linguæ scabrities, vigiliæ correctionem indicant.

De conseruantibus, & attemperantibus, coquentibusque.

QVIA omnium indicationum vrgentissima est in hac febre, attemperatio ab ea ergo incipiendum; primum attemperans, quo etiam vires conseruantur, erit mulsę aquosę potus, quo cum vsque ad iudicationem, quod acutissimus Morbus sit, Hyppoc. hanc febrem tractat; eius vero quantum voluerit bibendum dare oportet, sed quia mel biliosis naturis, præcipue cum os amarum est, vt in nostro ęgro aduersatur, dabimus in potu aquam hordei cum sacchara. poterit autem in aqua coqui hordeum ad crepaturam, qua ratione magis nutriet; potus itaque magis quam ptissana in morbis valde siccis conuenire scripsit Hyppoc. sed quia nostris hisce temporibus hic tenuissimus victus horrendus est, & febris fortasse prorogabitur, ideo lactucam coctam cum aceto exhibere poterimus semel in die,

Primo Acut.

vel

vel ptiſſanæ ſuccum. Secundum attemperans ex aere petitur, quem omni ratione refrigerare oportet, ſiquidem per inſpirationem continuo attrahitur immediate ad Cor. Tertium attemperans eſt magnus frigidæ aquæ potus vna vice ſumptus; quod tamen ante coctionem Gal. non admittit; in hac tamen febre quocumque tempore exhiberi poteſt, cum habeat naturam eriſipelatis; Tutius.n.iudicat Gal. morbum prorogare intempeſtiua frigidæ exhibitione, quam ſinere, vt in hecticam trāſeat, vel curatur humo, tutior tamē eſt aquæ potus per interualla, & paulatim nā magnus ille hauſtus periculoſus eſt, & non niſi cum magna cautella dandus; in ſenibus ſemper pernicioſus, & vidimus ab eo extinctos; balnea quoq; inter ea, quæ admouentur refrigerandi vim habent non exiguam. Cęterum præcordia, ne in hecticam incidat ex oleo roſaceo addito ſuccum portulacæ, vel polenta hordeacea ex oxicrato madefacienda; inter refrigerantia in ardentiſſimis febribus Gal. ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium commendauit; quod tamen præceptum ſolum in ſynochis, & in illis etiam raro admitti debet, in caſu autem noſtro ſufficit moderata ſanguinis miſſio ad ℥ 7. quod magnus ſit morbus, & in corpore bilioſo valde, in quibus ob illam validam ſanguinis miſſionem ſuccedere freniſim vidimus. Cęterum Hypp. hanc febrem curans nullam de venæ ſectione mentionem fecit; ſi tamen alui fluxus perſeuerarit mittendus; non eſt, ſiquidem iuxta Gal. doctrinam in febre cum alui fluxu nulla alia opus eſt euacuatione. 4. Acutorum

De vacuantibus.

HIC ſcopus in caſu noſtro pauca admodum vrget; quare omne fugiendum pharmacum expurgans iuſta Hypp. ſententiā, qui febribus in fortibus, & magnis non eſſe purgandum præcipit ante decimā quartam diem; ſed potius vtendum chlyſteribus tertio quoq; die, qui & actu, & potētia frigidi ſint, qualis hic eſt. ℞ aquæ hordeaceæ, vel decocti acetoſæ, violarum cichorei lib. 1. olei violacei ℥ iij. ſacchari rubei ℥ 1. ſalis parum, fiat enema, quod frigidum iniiciatur; ſed ſi aliquod per os leue exhibere volumus, illud cum Hypp. aut lac aſininum, vel potius lactis ſerum, cuius libras tres exhibere poterimus die ſecunda mane; eſt.n. attemperans, & expurgans, & quia os amarum eſt, & iuſta Hypp. in tali caſu vomere conducit, dabimus tepidam cum oximelite vel oxiſaccharo; eunte vero malo iam in declinationem eo medicamento vti poteris, quod ex Raubarbaro cap. de tertiana deſcripſimus facta expreſſione in ſero lactis. Lib. de medicamentis purgantibus.

De corrigendis symptomatis.

RECTE sanè reprehendit Celsus Asclipiadem, qui nullam symptomatum rationem habens in febribus, ægri vires conuellebat. Nam vbi accidentia mali vires deiciunt, & morbum augent, illis potissimum insistendum est, quia ex imbecillitate summum imminet periculum, cuiusmodi sunt sitis, & vigilia; itaque quanto difficilius ægri sitim, quam famen tollerant, illis magis potu indulgendum est; commodeque Erasistratus dixit sepe inferiori parte humorem non requirente, os & fauces requirere, sed in casu nostro requirit etiam inferior pars humorem; ideo sitis & assiduo potu, vt diximus lenienda, & inspiratione aeris frigidi, & silentio; dicebat enim Hypp. ad sitim conuenit tacere, frigidum respirare, & os claudere; sed oris clausio in casu nostro non conuenit; & quia lingua sua siccitate, & scabritie sitim accendit; ideo humectanda, & abstergenda id vero fiet colectionibus, & gargarismis ex oxicrato tepido & cocleari, seu canna mundanda; teneat in ore tamarindum aqua maceratum, cerasia accida, vel aquatici melonis pulpam, vigilia, delirium his sedantur, quæ fronti applicantur, ac temporibus; quare populeo vnguento vngantur non modo prędictæ partes, sed carotides arteriæ ad guttur, & pulsus repellit quoque & attemperat oxirodinum fronti per interualla duobus linteis aplicitum; atque syncipiti abraso. Somnus conciliatur silentio, tenebris, & vno vel altero cocleari syruppi de papauere. Inquietudo & æstus adimitur applicitis cordi, & hypocondriis epthematibus ex aqua rosacea, melissæ addito aceto; mox vngendo eas, partes vnguento sandalino, vel rosino, intus vero summendo conseruam de accido citri succo, vel Iulapium cum eo factum.

Celsus lib. 3.

6. Epidem.

CAP. III.

Quotidianæ febris exquisitę. Casus.

3. Casus.

EVNVCVS .xx. agens annum, habitu crassus, colore albus, crapulis, & otio deditus, iuxta nonam diei horam ad finem hyemis, capite grauari cepit cum somnolentia, nausea, inappetentia, stomaci dolore, & ructu accido; extrema refrigerata sunt, pulsus submissus parcus inequalis; vsq; ad horã noctis sextã, nõ acris & æstuosus, sed leuis primo occursu mox increscens calor procedebat. Octaua noctis hora declinare cepit paulatimq; vsque ad horam diei tertiam, qua intermisit, sed intermissio impura, seruans febrilem in pulsu inæqualitatem vrina alba, tenuis, alui deiectio cruda, & aquosa quæritur natura morbi, & curatio.

Digno-

Dignotio.

SATIS aperte colligitur ex allatis signis, quod prędicta febris quotidiana est simplex exquisita, & intermittens; febres.n.vel in prima accessione non expectata secunda sui manifestam notam prebent, & Peritus Medicus, vt dicebat Gal. non per dies, sed per naturam, & formam debet statim prima die febrem cognoscere. Cęterum causa humor crudus, pituita inquam accida circa ventriculum, intestina, & miscreon collecta, quæ sua multitudine, & lentore obstructionem faciens febrem accendit; quod vero scripsit auctor libri de natura humana, omnem febrem fieri a bile, non ita accipiendum est, quasi quod omnis humor febrificus potentia talis sit, sed quod naturam bilis acquirit, cum febrem facit & accendit, & quasi fiat pituita bilescens.

De primo scopo, An Medicus quippiam facere debeat.

PRAEDICTA febris, licet intermittens sit, periculo tamen non vacat, quod quotidie accessionem sit facturam, eamq; longam, & intermissio parua, sitque nocturna, & hyemalis, & cum longa futura sit periculum est, ne longitudine in cachexiam, vel hydropem transeat. præsertim si male tractetur; vix.n.fieri potest, vt in morbo longo euitentur errores, & cruditates; quare medici manus desiderat.

De secundo scopo, quid Medicus facere debeat, deq; commodo Remediorum vsu.

VIRES, vt quæ secundum naturam sunt sui conseruationem indicant; febris frigida, & humida, pituita, attenuantia, coquentia & expurgantia; inter symptomata ventriculi imbecillitas, extremorum frigiditas correctionem postulant; de quibus sigillatim dicendum initium sumentes ab indicatione, quæ vrgentissima est, causa.s.ipsius febris.

De coquentibus, attenuantibus, ac vacuantibus.

SANGVINIS missio, quanuis in omni febri putrida præcipiatur, in hac tamen ob cruditates magis vrgentes nequaquam facienda est; quia calor, qui coctionis est causa in sanguine est, & pituita per coctionem sanguis fit; & quia hic adest obstructio, quæ & ex copia, lentore, & crassitie humoris prouenit, in primis transitus aperire oportet leniter, vt deostruentibus detur locus, igitur secunda die vbi febris declinauit chlyster 11.Meth.

iniciatur commune, cui loco sacchari mel adiicere licebit. In principio vero accessionis vomitus lenißime inducendus ex mulsa tepida; nec alia maior vacuatio tentanda per totum illud tempus, quo vrina cruda apparuerit iuxta Hypp. præceptum; chlysteres tamen in dies fiant acriores, addita hiere vncia, aut diacatolicone ad vnciam apertis transitibus, ad ea, quæ detergunt, & attenuant veniendum, quæ tamen febres non accēdunt, inter quę oximel à Gal. præcipue laudatur, cuius ℥ ij singulo quoque mane sumere debet cum ℥ iiij decocti appij, capillorum veneris, & radicum petroselini; nec timendum est, quod in hoc casu bilescat apparato humore & vrina meliori existenti pharmaco mediocri purgabis, quod tamen secundam regionem non transcendat, quale hoc est. ℞ agarici trociscati ʒ iij, zenziberis ʒ . ʒ. aquæ mulsæ ℥ iij assummat calidū in aurora; & quia humor crassus ac lentus est, repetatur apotema sumendo oximelitis compositi ℥ ij, decocti vero quinque radicum ℥ iiij. & purgetur ex diaficone sumendo illius ʒ iiij vel per hyeram diacolocyntidos Galeni ad ʒ iij cum mulsa, vel vino. Interim vero procuranda coctio, somno, quiete, inedia, perfusione, hypocondrij, & commodo alimento, molli strato iuxta Hypp. doctrinam. Nec.n. in longis fębribus alia maior cura habenda est, quam vt coctio procuretur; quia ex lōgitudine cruditates aggregantur, vnde succedunt quotidianę febres quæ sæpissime quartanę ipsę detinere solent. vomitus quoque ex cibo, vbi febris minus prorogatur Gal. teste maximam soluendi eam habet pręrogatiuam.

4. Acutorum.
11. Metho.
4. Acutorum
Primo ad Glauc.

De ventriculi imbecillitate corrigenda.

VENTRICVLI robur, cum in omni alia febre, tum in hac præcipue procurandum, quod sedes sit ipsius mali; in hunc vsum Gal. vngit oleo, in quo absinthium incoctum sit quo calido semel in die ieiuno stomaco pars ea perfundatur, quæ ad mucronatam cartilaginem est; in quem vsum nullum præstantius hoc inuenies vnguento, quod habet, olei amygdalarum dulcium, vini generosi an. ℥ iij, comarum absynthij, quantum in humore inbibi potest, cinamomi ʒ . ʒ. masticis ʒ I. bulliant vsque ad vini consumptionem, exprimatur oleum, & cum pauca cera fiat vnguentum, quo stomacus vngatur, non modo in casu nostro, sed in omnibus affectibus frigidis; debent enim omnes perfusiones, quæ ad ventriculum & Iecur applicantur aliquod astringentium habere, ne visceris robur dissoluatur. Nam qui relaxantibus vtuntur præsertim à principio augent affectiones, & perdunt ægros. Gal. intus maxime conuenit oximel, in quo absinthij coma maduerit ad purgandum, & roborandum. primo ad Glauconem.

8. per loca.
8. per loca.

De

De compescendo frigore.

QVONIAM frigus, seu horror in hac febre longus esse solet, & ægros affligere; estq; hoc symptoma molestissimum, ideo illi occurrendum, & instante accessione maturius vestibus tegendus est, & thalamo bene clauso accessione præsente partes extremæ præcipue pedes calidis, & siccis fomitibus ex laceribus calidis, & pannis calefaciendis; ante accessionem fricentur extrema calidis oleis, qualis est nardinum, & anethinum; quo etiam spina fricanda.

De conseruatione Virium.

SI quæ febris est, quæ cibi abstinentiam requirat, præcipue in primis diebus hęc vna est. Nam vbi febris est (ait Gal.) cum obstructione crassorum humorum, vt in casu nostro maximo malo est cibus, quare alternis diebus solum alit & Celsus id ipsum affirmat, vt alter dies cibo vires substineat, alter vero inedia morbum pellat; tenuissime autem à principio ali debet non in ratione morbi, sic.n.in statu minus alere oportet, sed ob multas cruditates, quas conquoquere oportet adde, has naturas facile cibi abstinentiam ferre; quare vsque ad quartam diem sufficiet in cibo ius palumbi, aut pulli pane intrito, semel in die sumptum; idque mattutino tempore, per aliquot horas ante accessionem; potus vero vinum pauciferum, & oligoferum aqua lymphatum; nam nutritionem alterius diebus fortasse ferre non poterit noster æger, quod assuetus sit multę crapulæ. In progressu morbi bis in die nutriri poterit, & addere alas palumborum, & pullorum; ptissana quoque cum melle, & pipere anetho aptum illi erit nutrimentum.

10.Meth.

Lib. tertio.

CAP. IIII.

Hepialę febris Casus ex lib. 2. de differentis febrib. cap. 2.

MERETRIX annorum 35. cui paulo ante menses defecerant assiduo fructuum, & melopoponum æsui dedita, initio Octobris, hora diei octaua, ingentem algorem persensit, cum pulsus paruitate, & inęqualitate insigni. Calor paulatim accendebatur, qui hora noctis octaua ad summũ peruenit; sẽper tamen aderat frigus calori iunctus per vniversũ corpus, aliquo tempore declinare cępit tum frigus tum calor; quoad sequentis diei horam quartam decessere; vrina crassa & alba, alia excrementa mucillaginosa; per totam accessionem anxietas, & stomaci dolor, quęritur natura morbi & eius cura. 4. Casus.

Dignotio.

Dignotio.

PRAEDICTA febris, vt signa manifeste ostendunt, è genere est quotidianarum hepyalos grecè dicta, quod calorem lenem habeat ob adiunctam frigiditatem, quæ peculiaris solet esse mulieribus, quibus menses cessarunt, causa est pituita vitrea, seu mucillaginosa leuiter putrescens, ita vt per partem, quæ putret febrem, per eam vero, quæ cruda est algorem inducatur, colligitur vero humor vel circa ventriculum, & intestina, vt membranosa, & frigida ex cruditatibus accruata.

Lib. de super fettatione Hypp.

De primo scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

EO hec febris quotidiana exquisita iudicatur longior, & periculosior, quo ex humore crassiori ortum ducit; quare etiam longior erit ideoq; manus medicas desiderat.

De secundo scopo. Quid agendum deq; commodo remediorum vsu.

VIRES conseruandæ, materia coquenda, attenuanda, & vacuanda, stomaci imbecillitas, & frigus lenienda; indicatio autem, quæ à febre sumitur vix quicquam agendum monet; quæ omnia per illamet facienda, quæ diximus in quotidiana, sed tanto validiora, quanto humor est pertinacior, lenes chlysteres, & vomitus, deinde acriores, mox attenuandus humor oximellite composito, & decoctione quinque radicum, purgatio ex hiera diacolocyntidos; stomaci imbecillitas olei vnctione calidi in quo absynthium, & menta bullierint, ad frigus fricanda extrema & spina cum oleo costino, victus sit parcus valde, ex iure columbi, aut pulli pane intinto ad dito pipere. Potus vinum Oligoferum semel in die cibum summat quam longissime ab accessione.

CAP. V.

5. Casus.

Tertianæ notę simplicis casus ex libro primo ad Glauc. cap. 8.

ADOLESCENS xviij. annum agens albus aspectu, pinguis, crapulis, & ebrietatibus deditus, in autumno circa auroram in febrem incidit cum horrore; Calor, & pulsus non ita aucti, vt in tertiana, neque imminuti, vt in quotidiana; extensa febris est vsque ad vesperam 2. diei,

apparuit

apparuit paucus sudor circa horam tertiam eiusdem, à quo febris paulatim declinauit ita vt ad vesperam, vt dictum est immuni videatur, quanuis putredinis signum in pulsu euidens esset. Rursus die tertia circa horam tertiam accessio eum inuasit similem naturam seruans erat autem pulsus illi durus, quæ durities in dies augebatur, vt septima durissimus conspiceretur quæritur morbi natura, & cura.

Quæ proponitur febris tertiana est nõ exquisita, sed nota extensa, simplex, & intermittens è genere putridarum, causa bilis crassa aliquibus censetur, aliis bilis pituitæ admixta, seu illa vitellina sit, vt censuit Auicennas, seu potius pallida cum pituita vnum corpus efficiens, & ad vnum locum aceruata putrescens in venis, & circa venas, quæ meseraicę dicuntur, è quo loco vbi copia & qualitate naturam irritat ad ventriculum mittitur, & sensiles corporis partes vaporibus permeans horrores efficit, & pulsus durities ob frigiditatem earum caloris participem; augetur autem durities in dies, quia calor magis potest eleuare vapores quam à principio; nulla autem febris hac frequentior visitur in Iuuenibus pręcipue autumni tempore nam bilis per æstatem colligitur multa ob temporis conditionem, sed ex fructuum æsu, & aquæ potu multa aceruatur pituita, quæ bili iuncta notas tertianas facit, appellat autem hunc humorẽ Hypp. pituitam subbiliosam, autem bilem pituitosam, prout altera alteram superat. 2. de morbis.

De primo Scopo. An Medicus aliquid facere debeat.

CVM hęc febris sua natura longa sit & longiorem in casu nostro illam demonstrent, anni tempus, circuitus eadem hora repetentes ac longi, & corpus multis cruditatibus assuetum, sitque diurna (ita.n. appellat Hypp.) febres, quæ mattutino tempore adueniunt, ideo periculosa valde censeri debet; timor.n. est ne per hyemem in acutum morbum, (quod Hypp. de hyemalibus febribus dixit) transeat, aut in hydropem, maxime vrgenti siti, quæ in hac febre valida esse solet, vnde æger vix a potu abstineri potest, neque mirum si cum vitæ periculo vt ait Gal. febris hæc ad 40. dies vltra æquinoctium vernum producta est cum lienis grandi tumore, & hypocondriorum inflatione, aut totius corporis decoloratione, & quod in omni longa febre accidere consueuit.

De secundo scopo, quid Medicus facere debeat, deq; commodo remediorum vsu.

INTER ea, quæ secundum naturam sunt, vires sui conseruationem desiderant, inter non naturalia morbus ipse nimirum febris frigida, & humida; causa coquentia & expurgantia, inter symptomata rigor, & ventriculi

triculi imbecillitas corrigenda, & sitis si nimium affligit. Cum vero maxime vrgeat, quę à causa sumitur indicatio, ab hac initium faciendum est.

De coquentibus, & vacuantibus.

SANGVINIS missio ob ingentes cruditates à principio non conuenit, nisi in progressu, cum iam partim coctæ fuerint, sed, vt via præparantibus pateat; clyster iniciatur secunda die, qua febri vacat, sit autem communis clyster, cui hierę ℥.5.addi potest; itemque in principio accessionis vomitus, leniter ex mulsa aqua, penna in fauces immissa procuretur. hinc ad potiones veniendum quæ deobstruant, & humorem attenuant sine manifesto calore. Gal.oximel probat, quod in casu nostro, & natura, quę pituitosa est, recte dari poterit cum decocto radicum appij. Qua tamen in hac re Trallianus Galenum reprehendit, quod in differenter omnibus oximel probat; nam naturis biliosis nequaquam conuenire ait, quod potius febrem & obstructionem augeat tum mulsa, tum oximel; à qua calumnia se vendicat Gal. asserens dandam esse in febribus ptissam, & oximel. ptissanam, quibus non acescit, oximel autem quibus non bilescit; quod si bilescat syruppum acetosum dabimus ex decocto capillorum veneris, eupatorij, cichorij oscalidis passularum, & melissæ apparente coctione bilis & pituita hoc pharmaco ducenda. ℞ agarici trocischati, raubarbari an. ʒ ij, spicæ zenziberis an. ℈ 5. infundantur secundum artem facta expressione adde syruppi rosati solutiui ℥ iij, cum decocto magistrali fiat potio; quæ calida summatur in aurora diei quetis; & quia tenax humor est reiteretur purgatio; sed & vomitus & in accessione & à cibo in progressu conuenientissimus est, qui ex ℥ iij aquæ mulsæ in qua raphani semen sit incoctum parari poterit; oximel etiam Gal. quo absynthij coma maduerit roborat & ventriculum expurgat; magis apparente coctione, & sudores, & vrina mouenda ex hydromelite, quo appij & petrosellini radices sint incoctæ. Interim procuranda coctio quiete, somno, vnctione, clysteri, commodo alimento, & stratu molli, quæ in omni longo morbo maxime seruanda sunt, sic vt corpus, (vt Magnus ait Hypp.) in æqualitate consueta frigoris, & caloris regatur.

Lib. 12.

1.ad Glauc. cap.

1.ad Glauc.

De ventriculo roborando, & horroris remedio.

VENTRICVLVS prescripto vnguento in media hora ante pastũ roborabitur, quod habet olei melini, nardini, vini rubei generosi an. ℥ ij, comarum absynthij ʒ.5. aloes mastiches an. ʒ 1 coquantur ad ignem ad consumptionem vini, expressio fiat & cum pauca cera formetur ceratum; quo calido fiat inunctio, & si angor, & dolor in accessione fiat vomitus

tus ex mulsa procuretur, fere.n. (ait Celsus) rigor fit ex his, quæ biliosa circa stomacum colliguntur; deinde ex prædicto vnguento fiat iniunctio non ratione temporis, sed vrgentiæ; absynthium quoque oleo frictum auxiliabitur sedabitur quoque horror si bene cooperiatur, & extremi pedes fomentis siccis calefiant.

De conseruatione Virium.

VICTVS *parcus sit, quo cum tamen ad morbi vigorem æger proueniat. & in primis diebus sufficiat nutrire in die quietis ex iure pulli cum mica panis in mane; sero vero ex cocto cichoreo, & eodem iure; in die autem accessionis in declinatione ptissanam gustare poterit; procedente tempore oua tremula, & pullorum alę ac pedes. Potus in die quietis vinum sit album imbecillum, quale burianum apud nos, aut vergineum aquosum, & si vinum aborreat aquam in qua cinamomi & hordei incocta sint addendo Iulapium vel oxisaccharum.*

CAP. V.

Tertianę notę duplicis Casus ex Hyppocrate secundo de morbis.

5. Casus.

IVVENIS *statuarius, habitu corporis gracili, colore nigro, amplis venis, post multum fructuum æsum, & frequentem aquæ potum ad initium Septembris circa vesperã horrore valido corripitur; quo per duas horas durante calor successit acris cum capitis grauitate, ac stomaci dolore, inappetentia, oris amaritudine, ac valida siti febris ad horam noctis sextã aucta est, cum lumborum & genuum grauitate, & in vigore persistit per duas horas; deinde paulatim decrescens ad secundam diei horam intermisit. Rursus secunda die ad vesperam febris rediit cum eisdem accidentibus, sed vomuit varia biliosa, & pituitosa, vrina crassa pallida; quæritur morbi natura & curatio.*

Dignotio.

SATIS *apparet ex signis præallegatis huiusmodi febrem esse tertianam notam, intermittentem, duplicem; non enim quia quotidie inuadit, ideo quotidiana censenda est; quia duplex tertiana, & triplex quartana quotidie inuadunt. Sed per formã accessionis iudicanda semper est febris, causa bilis est pituitæ admocta, quæ venas occupans præcipue, quæ sunt circa Iecur, & ventriculum obstructionem, & putredinem parit, vnde fe-*

bris oritur; ideoq; Hypp. febrem oriri dixit, quoties ventrem moderatam deiectionem non fecerit:, & Cibi noui super accedunt pressis venis plenitudine. Cęterum cardialgia inappetentia, & sitis eundem humorem causam habent detrusum ad ventriculum; est autem cardialgia peculiaris autumnalibus febribus; grauitas lumborum & genuum plenitudinem indicant.

De primo scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

CVM prędicta febris quotidie inuadat, & fere altera alteram concipiat cum grauibus symptomatibus in autumno, & ex duplici humore genita, longa & periculosa censeri debet, non tamen adeo quin si recte tractetur salus sperari non debeat; idque intra 40. dies; ideo medicas manus desiderat.

De secundo scopo, quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

VIRES, vt quæ secundum naturam sunt, conseruandæ; inter ea quę præter naturam sunt morbus, qui febris est frigida humida, exposcit; causa, quæ bilis & pituita coquenda, & expurganda, plenitudo vacuanda, symptomata lenienda, qualis est cardialgia, sitis, capitis grauitas & dolor.

De vacuantibus, & coquentibus.

CVM grauitas lumborum, & genuum plenitudinem indicet ideo ab hac deponendi initium summendum; quare secunda die intermissione facta mattutino tempore sanguis mittatur ex basilica brachij destri ad ℥ x. prius per balanum euacuata aluo, nisi sua sponte deiecerit, & si contulerit repetenda die quarta semper. n. in diebus paribus magna remedia facienda, vbi in imparibus morbus exacerbatur, quod frequenter fieri solet; chlysteres vero lenes per interualla ex decocto communi in declinatione fiant, & vomitus in accessione ex tepida mulsa cum pauco aceto prouocandus, quo enim natura vergitur eo ducere oportet; at in accessione ait
4. Acutorum. Hypp. omnia sursum vergũt, ideo per superiora vacuandum præcipue cum adest oris amaritudo; at in declinatione omnia deorsum spectant; apertis hac ratione transitibus procuranda humoris coctio præparante syruppo, & decocto numquã enim in febribus longis, & a causa frigida aquis vtendum in syruppis sed decoctis, qualis hic est. ℞ syrup. acetosi simplicis ℥. I capillorum veneris ℥. 5. decocti eupatorij, acetosæ adianti graminis ℥ iiij.

fiat

fiat syrup. sumendus in aurora. oximel autem ne bilescat timendus iure merito ob habitum corporis pricocholum; rursus ex oleo melino addito croco & aloe, ac mastice vnctiones fiant, ad stomacum; & somno, quiete, stratu molli, frictionibus, & commodo nutrimento coctio adiuuanda, quæ vbi in vrina & pulsu de se significationem præbet ex diasiniconis ʒ. 5. cum mulsa purgetur, aut ex agarico, & raubarbaro, deinde vomitus à cibo, si morbus producitur, inducendus ex decocto raphani addito oximelite, quo tempore vires roborare oportet, vt ait Gal. putredinem superent, & humores concoquant, adhibendæque potiones, quæ vrinas, & sudores moueant, quale erit decoctum ex radicibus appij, petrosellini, feniculi, adhibita octaua parte sacchari ad vrinas, in aurora, ad sudores cum declinatio accessionis vigorẽ excipit, quare Celsus recte monebat, videndum esse si sub declinatione febris tempora madefiant, tunc veste contegendus, & aquam calidam, seu ptissanam siue prædictum decoctum in potu dandum; cuius salubris effectus est, vt sudorem per omnia membra perfundat, & febrem finiat.

11. Meth.

Lib. tertio.

De attemperantibus.

INDICATIO, *quæ à febre petitur, requirente frigida humida, mediocriter vrget, ea vero potissimum in declinatione mali facienda, vbi pituita bili mixta est, vt in casu nostro. Hypp. in hac febre sero lactis vtebatur; eius ideo lib. 1. calidam per interualla dandam sitq; asininum, vel caprinum, cui addere licebit iulapij violacei ʒ. 1. frigidus quoque potus addito eodem iulapio per declinationem febrium concedi debet, quo etiam sitis extinguitur, & si accidum amat limonis succum addere licebit; extra vero ad stomaci, & iecuris regionem refrigerans Gal. ceratum.*

De symptomatis corrigendis.

CARDIALGIA *illa, & sitis, quæ affligit accessione veniente, vomitu ex tepida aqua aboletur; inde vero extra, stomaco absynthium, quod oleo inferbuerit linteo inuolutum applicandum, & si animo deficiat offa panis danda ex meraco vino & rosacea mixtis; oximel, quo absynthij coma maduerit per interualla detur ad roborandum, & expurgandum, & appetitum conciliandum; apponendi varij cibi, quibus (vt ait Celsus) degustato suauius etiam si aliquantulum sit peior iuxta Hypp. præceptum; capitis dolor & grauitas frictionibus, & ligaturis, nec non oxirodino fronti, ac syncipiti imposito reprimendus; sitis ea ratione, qua capite de tertiana diximus.*

2. Aphor.

De conseruatione Virium.

CIBVS commodissimus erit ius pulli, aut columbi, cum pane, in quo cocta fuerint passula, acetosa, buglossa, hordeum, & cichoreum; qui cibus omnibus febribus commodissimus est; exhibeatur quotidie bis quam longissime ab accessione ptissana quoq; sola vti poterit; in die impari optimum.n.medicamentum (ait Celsus) est oportune cibus datus; quo in exhi- Lib. tertio.
bendo dij boni quam turpiter cõmuniter erratur, & præceptum Hyp. omittatur implentibus medicis ægros vsque ad nauseam. Potus sit aqua in qua hordeum, & adiantum sint incocta; apparente coctione vinum oligoferũ, in quo exhibendo mirum est quam aberrent Medici cauentes vinum in febribus quasi venenum, cum tamen Hypp. eum in acutis morbis laudet, dum modo tempestiue exhibeatur, sedato inflammationis timore, & febris vigore sublato, & præcipue, vbi adest ventriculi imbecillitas dari debet; nouimus etiam febres pestiferas non nisi vini potione sanatas; cauent aliqui vinum etiam in declinatione febris, antequam medicamentum detur reli-
11.Meth. giose immemores eius quod scripsit Gal. vires eo tempore roborandas esse, quo putredinem superent, & humores conquocant, quod nil præstantius vino agere potest.

CAP. VI.

6. Casus. Semitertianę Casus ex Gal.lib.2. de differentis cap.8.

ADOLOSCENS autumno circa primam diei horam febre corripitur cum rigore carnes pungente, secũda hora ab accessione vomuit biliosa flaua, circa horam quintam parum sudauit, hora diei sexta pulsus contractus est, & extremorum frigiditas superuenit horrida hinc inęqualis calor successit, qui paulatim succendebatur vsque ad horam diei xi. increscebat autem manifeste ad horam noctis quartam, cum somnolentia, anxietate, & stomaci dolore; Cęterum hora noctis quinta & sexta in suo fuit vigore febris, à qua paulatim decrescebat vsque ad quartam sequentis diei horam, quo tempore contractus est pulsus, cum extremorum algore inde paulatim accensa ad horam noctis quartam, decrescebat paulatim vsque ad secundam diei tertij horam; qua rursus febris hominem inuasit cum horrore, pulsus & caloris inæqualitate, mediam quandam seruans formam biliosæ, & pituitosæ febris; rursus hora quinta horruit hora octaua inclinatio ad somnum aderat, anxietas, fastidium. fiebantque nouæ inuasiones dum febris augebatur, velut reduplicationes, & quasi accessionis initia per totum febris augumentum.

Dignotio.

Dignotio.

PRAEDICTA febris hemictriteos dicitur, siue semitertiana, eaq; exquisita composita ex quotidiana continua, & tertiana intermittente ac propterea tertio quoque die accessiones duas efficiens, vnam vero diebus intermediis; vnde appellabat Hypp. has febres tertio quoque die ingrauescentes, & Celsus dicebat habere frequentes accessiones discessionesque, vt cum idem morbus sit, non idem esse videatur. est autem febris hæc autumno frequens, & prauis constitutionibus; quamuis ob Medicorum ignorantiam nostri temporis, vix dignoscatur. Cum vero prima die hora prima cęperit tertiana, hora vero sexta quotidiana, secunda die sola quotidiana hora quarta duabus anticipauit, tertia vero die duæ accessiones cępere eadem hora, antecipante quotidiana duabus horis, postponente vero tertiana totidem. Quare hora secunda tertij diei febris cum horrore inuasit, duabus accessionibus in vnum concurrentibus. Cęterum horrores, quos hora quinta, & sexta sentiebat non fuere nouæ accessiones, sed repetitiones horrificæ, quæ huius febris propriæ esse solēt ob pugnam duorum humorum; ideo scribit Hypp. in semitertianis rigores factos esse sine ordine & erraticos, eosque paucissimos, quia sunt potius horrores, & cum apud eundem Hyppoc. semitertiana febres sit continua, & horrifica, non poterit talis dici nisi cōponatur ex quotidiana cōtinua, & tertiana intermittente, vel è contra. Quod si quando Gal. lib. de typis fatetur posse duas intermittentes facere semitertianam, non de vera, & exquisita sed nota intelligendum est; causa vero prædictę febris humor est duplex pituita. s. & bilis, quorum illa in ventriculi venis magnis continetur, hæc vero nempe bilis a Iecore, & vesica transfunditur.

1. Epid.

Lib. Epid.

De primo scopo. An Medicus aliquid in hac febre facere debeat.

HAEC febris quod continua sit, composita, & à contrariis fiat humoribus, mala habeat symptomata, merito periculosissima ab Hypp. iudicatur, & maxime lętalis. solent. n. tabidi ex ea laborare, quia ex virium imbecillitate cruda, ex febrili calore biliosa acervant; diciturque ea ratione longa, & acuta, quia seua affert symptomata, ideo inter acutas censeri debet, quæ intra dies 40. terminatur; sed quia in casu nostro exquisita est, neque admodum grauis & æger viribus valet sperandum est, vt tum naturæ tum Medici ope intra dies 20. absoluatur; idque per vomitum, & sudorem, quo natura in primis accessionibus iam inclinauit.

De ſecundo ſcopo, quid facere Medicus debeat, deq; commodo vſu Remediorum.

VIRES, vt quæ ſecundum naturam ſunt, conſeruationem requirunt; inter ea, quæ præter naturam ſunt, morbus cum ſit calidus & humidus attemperantia per contraria; bilis ac pituita coctionem, & expurgationem, inter ſymptomata anxietas, & ventriculi dolor, necnon horror ipſę ſui correctionem poſtulant, de quibus ſigillatim nobis agendum eſt.

De coquentibus, & euacuantibus.

CVM ſit febris putrida ex obſtructione nacta, in primis tranſpirabile corpus fiat oportet, cumque morbus magnus ſit, & vires valeant ſecunda die in declinatione febris circa horam noctis nonam glande aluo reddita, ſanguis mittatur à baſilica brachij deſtri ad ℥ x. & ſi videbitur quarto die repetenda, ſtomacus per vomitum ex mulſa tepida præcipue in acceſſione impari vacuandus, & clyſteres lenes per declinationem; hæc.n. omnia inter coquentia numerantur licet vacuantia ſint. Corpore expurgato, ad cætera, quæ alia ratione coquunt, (quia humores attenuant) veniendum. Quare apotema fiat hunc in modum ℞ oximelitis ſimplicis, ſyruppi adianti an. ℥.5. decocti adianti, cicoreę, graminis, eupatorij ℥ iiij, fiat ſyruppus, qui tempore congruo exhibeatur non in acceſſionibus præſentibus vel inſtantibus, melius autem eſt in omni febre decoctis vti præcipue ſi à pituita pendent febres, quam aquis, quippequę nullam herbarum vir-
4. Acutorum *tutem ſapiunt; neque quidquam præter refrigerationem boni habent; Quare errant Medici, qui illis vtuntur, Coctione apparente in vrina, & pulſu; ex agarico, & raubarbaro purgandus vterq; humor, vel ℥.5. diafiniconis. Cęterum ſudor à ſummo vigore in die impari præcipue prouocandus, data calida ptiſſana, aut calida aqua cum ſyruppo capillorum veneris; vrina quoque mouenda ex coctione radicum appij petroſellini, & liquiritiæ.*

De corrigendis ſymptomatis.

CARDIALGICAS appellabat Hypp. has febres; quia ſemper ſunt cum anxietudine, & morſu ventris; igitur oximelitis ℥ ij cum
7. Epid. *tepida in acceſſione vomitus ciendus, quo etiam horror mitigabitur, qui ab eadem cauſa pendet, Intus vero ſuccum granatorum accidorum dabimus*
8. per loca. *per interualla quo Hypp. poſt vomitum vſus eſt in Vxore Theotimati & Apomanti. Gal. ex officina Aſclepiadis, ſuccum granatorum, mentæ cum melle ad partes æquales miſcet & exibet ad ſubuertionem, nauſeam, & faſtidium;*

fastidium; quod si periculum sit ne syncopin incidat, instante accessione vel in ipsa offam panis ex generoso vino dabimus & per horas tertias ante accessionem stomacus oleo de nucis moscatis vngatur, vel ex nardino, absynthinoue; linguæ scabrities aqua calida detergenda, & sitis sedanda ea ratione, qua diximus capite de tertiana.

De conseruatione Virium.

CERTE cum acutus valde est morbus parum de viribus sumus soliciti quod tempore breui sustineantur absque, nutrimento, vnde Hyp. in acutis magis declinandam esse dixit ad tenuiorem; Contra ac Nostri Medici faciunt; sed vbi longior futurus est, largior debet esse manus, & quia quantum coniectari licet morbus hic 14. trascendet, dabimus in die pari, in quo vnam accessionem habet ius pulli in quo adiantum, cicoreum, burrago, acetosa, hordeũ & vuæ passæ sint incoctæ, cum intrito pane, idq; quam longissime ab accessione; in die vero impari, quo valde affligitur ptisanæ cremore semel sumpto contenti erimus; & si aliqua febris est, in qua victus Medici diligentiã requirat; hæc vna est, cum (vt ait Celsus) fallat, vt ob varias inuasiones, fiat, vt tunc crescat, cum declinare videatur; quare plurimi, (ait ille) sub Medici errore moriuntur, cum vero dare cibum in accessione necessitas cogat (præcipit ille) vt satius sit consistente febre dare, quam in incremento, satius instante, quam incipiente, cum eo tamen, vt nullo tempore is, qui deficit non sit sustinendus, Gal. tamen exactius ex illis tribus temporibus, quæ accessionem faciunt, principio. s. augumento, & statu, quod minus affligat considerat, & in eo cibum præbere solet.

Lib. tertio.

11. Metho.

CAP. VII.

Febris Ardentis notæ, quæ hypiriæ species est Casus ex Hypp. 4. acutorum.

NAVTA ætatis annorum xxxx. boni habitus, qui dum nauigaret salitis multis se impleuerat, autumno hora diei nona in febrem incidit cum extremorũ algore producta febris est per totam noctem cum valido internarum partium ardore, siti ingenti, lingua arida, scabra, sicca, ac salsa, aluus liquida deiiciebat & cruda; vrina vir apparebat, eaque crassa, vigilia aderat & febris sequenti die permansit sine intermissione; vix vero extrema calescebant, quæritur natura morbi, & curatio. 7. Casus.

Dignotio.

Dignotio.

FEBRIS, quæ proponitur est de genere Ardentium, sed nota è genere lippyriæ. Causa pituita est salsa in magnis venis circa Iecur, & ventriculum abundans. Cuius acredine aluus irritatur, & fluit, ac propterea vrina non apparet, alio translata materia, & fortasse copia pituitæ obstruens vias vrinæ ex humorum crassitie impeditur. Calor ne ad extremas partes omnino diffundatur eadem humorũ crudorum copia facit, vnde algor adest extremorum, & flamma in internis partibus. Ceterum Auicennas tribuit salsedinem pituitæ, ob bilis admixtionem; Gal. ad putredinem aut salsæ, & serotæ humiditatis admixtionem, sed Auicennas loco eius (aut) quæ est alternatiua posuit copulatiuam &, legens fieri salsam pituitam ob putredinem & tenuis humoris admixtionem, sed etiam sine putredine, ex seroso humore, qui sua natura salsus est; fieri potest pituita salsa. at dices si ob putredinem fit pituita salsa, omnis ergo quotidiana febris erit à pituita salsa, sed non sequitur, quia tunc fit salsa, quando putrescit, si terrea fuerit; non tamen sequitur se est aquea, vt salsa fiat.

De primo Scopo. An Medicus aliquid facere debeat.

HAEC Febris, quod acuta valde sit, maligna, cum extremorum algore, & ardore internarum partium, & siti, & causam habeat pituitam salsam, lętalis iudicatur ab Hyppocrate, non tamen omnino desperandum est, quia in acutis, vt (ipse ait) non omnino certę sunt mortis, aut
4. Aphor. salutis prædictiones; poterit fortasse per fluxum iudicari, quod eo iam materia protruditur licet symptomatica sit excretio; si vero aluus firmatur, ad aliquem abscessum, si ad bonum tendit, finitur. Nam sicuti Ardens exquisita excretione, ita hæc nota abscessu iudicari solet; iudicabitur autem intra dies 14. ad plus, quod acuta sit valde. Cum igitur morbus sit, adeo grauis facta coram Astantibus de periculo enarratione, Medicus auxiliares manus præbeat.

De secundo scopo, quid Medicus agere debeat, deq; commodo remediorum vsu.

VIRES, vt quæ secundum naturam sunt sui conseruationem postulant, Morbus nempe febris attemperantia per frigida, & humida; humor peccans coquentia, & euacuantia; inter symptomata sitis, vigilia, extremorum algor, & vrinæ interceptio corrigenda sunt.

De

De coquentibus.

CVM ad coctionem tranſitus apertos eſſe conueniat, hic vero aluus ex ſe effluat, non videtur alia opus eſſe euacuatione, vt Gal. aſſerit; I.ad Glauc. *Hypp. tamen curans hanc febrem ſorbitiones attractorias dandas eſſe monet; quaſi quę expurgent, ipſę tamen Hypp. lib. de affectionibus omne vetat medicamentum, vbi arida lingua eſt, cum internarum partium ardore; ſed clyſteribus procedendum monet, & Celſus vbi ardens febris extorret nullo vtendum medicamento docet, ergo alui fluxus nec proritandus, nec reprimendus, niſi de viribus ſit periculum clyſteres tamen attemperantes, & abluentes fieri poterunt; qualis hic eſt. ℞ decocti hordei, violarum, betę, mercurialis lib. 5. olei violacei ℥ iij. ſacchari rubei ℥ I. vitellorum occarum num. ij. fiat enema poterit & ſero lactis leniter expurgari; quia multa adeſt cacochimia, quod etiam attemperandi facultatem habet, quo ſane medicamento Antiqui vtiliſſimo vtebantur; ſicuti etiam ſucco mercurialis cuius ℥ iiij cum ℥ I. ſacchari exhiberi poterit; ſed ſi aluus firmetur, ſtatim ad ſanguinis miſſionem veniendum hortante id magnitudine morbi, & ætate, ex brachio deſtro à vena baſilica, ad ℥ x. vix. n. aliud auxilium, (vt ait Celſus) vnquam ſanitatem reſtituit, præſertim in magnis, & acutis morbis. Cęterum coctio prouocanda humoris ſomno, quiete, vnctione, & attemperante ſyruppo capillorum veneris, cum decocto cichoreę, adianti, graminis oxalidis, hordei, & eupatorij, quod ſi natura ad aliquem vergat abſceſſum illa adiuuanda, eo auocando materiam, ſeu per excretionem, ſeu per decubitum; quod fieri ſolet præcipue ſi aluus ſiccetur, calidis fotibus vnctionibus, frictionibus, & cucurbitulis.*

De his, quæ ardorem attemperant, & ſe dant ſitim, & vigiliam.

CVM febris valida ſit, vrens, & exardens circa ventrem, refrigerantia expoſcit, ſed non adeo intenſa, vt in exquiſito cauſone; aqua igitur per interualla exhibenda, in qua hordeum, adiantumque ſit coctum addito oxiſaccharo. Extra vero ſtomaco cichorij ſuccum cum polenta hordeacea, & oleo roſato, quæ ſimul mixta tepida hypocondriis admoueatur. Aer procuretur frigidus, quem inſpirat; quibus omnibus etiam ſitis tollitur; os abluendum oxicrato, ad ſomnum detur cum it dormitum ℥ I. ſyruppi de pappauere, & tempora, frons, guttur, carpi, populeone vngantur.

De alui fluxu.

DIXIMVS non esse sedandum fluxum si vires non debilitat, quia quamuis ratione signi sit symptomatica excretio non tamen ratione causæ, nam vbi adest multa cacochimia, natura quomodocumque se exonerare solet etiam à principio, & si retineremus pessima symptomata fierent, sed si vrget, & debilitat ægrum fluxus, tunc reprimi debet; recte ideo monuit Celsus, considerandum in omni febri an corpus astrictum sit, an profluat; quorum alterum strangulat quod continet, alterum digerit, & quia non minus acredo humoris quam copia stimulans mouet, ideo attemperare oportet, in quem vsum accidus mali granati succus cum sacchẚro exhiberi poterit. Hyppoc. mala sidonia macerat & facta expressione de illa aqua bibendum præbet. clysteres quoque ex aqua hordei cum sacchẚro vel ex sero lactis conferent, stomacus mirtino, vel melino oleo perungendus.

Lib. tertio.

2. de morbis.

De Algore extremorum.

MAGNOPERE conandum est, vt extrema calescant, quia calor intus detentus febrem auget; vnde Hypp. vbi aluus in febre fluit cum frigore pedum ceratis & fasciis, vt calefiant conandum est. Nam cum calor ad pedes diffunditur iam (vt ait Celsus) incipit tempus remedio esse.

4. Acutorum

De conseruantibus Vires.

CVM febris hæc sit acuta valde, itaut vix vltra septimum diem sit progressura, & ex copia humorum fiat, sufficiet ptissanæ succus vsq; ad iudicationem à principio; & in vigore morbi hydro sacchẚro solum vtendum, vel mulsa aquosa si non bilescat; qua sola vtitur Hypp. in hac febri, vbi.n. ait Gal. ex phlegmone, aut obstructione febris pendet maximo malo est cibus. Potus sit aqua hordei, in qua etiam liquiritia sit incocta, quam liberaliter summere poterit exacte tepidam, aut egelidam.

10. Meth.

CAP. VIII.

Quartanæ febris notę. Casus.

8. Casus.

PROPONITVR hic quartana nota, quia ex ea elucebit ea, quæ exquisita est, & quomodo curari debeat vtraque carum siquidem Medici Imperiti curantes fere semper vno & eodem modo vtranque magnos errores committunt, occasionem præbuisse videtur Gal. qui eam curans parum rem distinxit, vt testis est Trallianus oculatissimus Medicus.

Lib. 1. ad Gl.

Lib. 12.

Casus

Casus igitur ita se habet. Mater mea ætatis suę anno 65. temperatura calida, & sicca initio Octobris, hora diei decima rigore corripitur, quo per duas horas durante, calor successit mediocris cum siti, capitis dolore, pulsus quasi tertianæ, durauit febris tota nocte; hora sexta declinare cępit cum sudore, hora secunda sequentis diei intermisit vix vllum relinquens febris vestigium. Vrinæ tenues subruffę, excrementa biliosa grauitas ad hypocondrium destrum, quæritur natura morbi, & eius cura.

Dignotio.

QVANTVM colligi potuit coniectura, statim in prima accessione febris quartana erat, simplex, nota, ac intermittens; causa melancolia, non quidem naturalis, sed ex assata bile genita per æstatem; quæ sedem suam habuit circa Iecur, quod ex tumore, & grauitate illius colligebatur; neque.n. videtur necessarium, vt in intermittentibus sint humores extra venas; siquidem, ait Alexander, quartana, quæ per abscessum ex acuto fit in venis sedem habet; neque continua necessario in venis est, cum vtraque febris ex vtroque loco fiat; sed quod hęc sit continua illa vero intermittens, magis ad modum putredinis referendam quam ad locum, sed de his alibi, & certe quarta die febris rediit fere eadem hora cum eisdem accidentibus. Lib. 12.

De primo scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

QVARTANA febris absolute ab Hypp. salutaris iudicatur, & & curatu facillima, non quod facile curetur, sed quia modus curationis facilis est; sola.n. victus ratione seruata (quod etiam vulgus nouit) curatur; habet.n. terminum fatalem, quem Medicus euitare non potest; immo si irritetur remediis, duplex fiet, aut triplex hęc cum sit in muliere iam sene, & autumni tempore in casu nostro periculum maximum impendet, ne totam hyemem transeat cum magno vitę illius periculo; Solent.n. hyemales febres in acutas transire, vel saltem reduplicari, quemadmodum in Matre factum est; in qua febris simplex, intermittens durauit toto autumno, & in hyeme duplex facta est, & triplex, & extensa est ad secundos annos, & copioso alui fluxu cum magnis doloribus soluta est; mirum sane, quod Mulier in ea ætate constituta tam longum & rebellem morbum sustinuerit. igitur si quis alter vmquam casus hic manus medicas desiderabat.

De ſecundo ſcopo. Quid Medicus facere debeat, deque commodo remediorum vſu.

VIRES, vt quæ ſecundum naturam ſunt, & in quibus vita conſiſtit ſui conſeruationem indicant; febris ea, quę attemperant; humor melancolicus coquentia, & expurgantia. Inter ſymptomata. Cruditas, rigor, ſitis, ſtomaci dolor, quæ eam maxime affligebant ſui correctionem poſtulant.

De coquentibus, & euacuantibus.

QVONIAM tranſitus apertos eſſe oportet, vt coquentibus detur locus; & quia nulla vis medicamenti conuenit in hac febre, niſi leniſſimi clyſteres; aluus molita eſt die ſecunda, die vero tertia intermiſſionis, ſanguis miſſus eſt ad ℥ vij. quod venas haberet latas, & tumidas; eratq; ſanguis niger, quem in maiori copia effundere noluimus ob ætatem, & quia morbus futurus erat longus; fuit vero ex vena baſilica deſtri brachij, quia potius in Iecore quam in liene morbus erat; ſecunda acceſſione, quæ fuit die quarta vomitum ex tepida procurauimus cum aceto, & melle, & aliqua cum difficultate euomuit. Rurſus die tertia clyſteri vſi fuimus; deinde in acceſſione rurſus vomitorum dedimus, & ſic leuiter tractabatur iuxta Gal. dogma ne irritaretur; quod ſi Hypp. ſeu Auctor libri de morbis ſecundo in quartanis à principio validis purgatoriis vtitur, id fecit, quia ſperat breui ſolutionem, vt in æſtiuis quartanis, & quæ ex mala victus ratione, & quę per abſceſſum fiunt, ſed tutius eſt lenibus vſi; & quia ſenes fere ſemper occidit, niſi cito finiatur; ideo maxima à principio habenda cura, præſertim cum victu, vt mox dicemus; cum vero in proceſſu difficile vomeret, ab eo abſtinuimus, & aluus per interualla dato raubarbaro, & agarico cuiuſque ʒ. 5. cum iure pulli purgabatur; interim vero ad coquendos humores potio parabatur hæc. ℞ decocti cicorij, adianti, oxalidis, graminis, paſſularum vuarum ℥ iiij. iulapij capilli veneris ℥ I. fiat potio, quam per plures dies aſſumebat. in vere repetito medicamento raubarbari cum agarico purgabatur ex iure pulli, & licet moneat Hypp. humores melancolicos per inferna purgandos vehementer; hic tamen virium imbecillitas, & cruditas adhuc vigens impedimento erant; purgabatur, & ſyruppo de polipodio ex deſcriptione Mercurialis noſtri ad ℥ iij cum iure pulli; dabamus autem medicamenta magis in die quietis ob debilitatem, & ſicuritatem, non ignorantes, quod in hac febre cum pertinax ſit, conueniat aliquando purgare, & valide in die acceſſionis per horas v. ante acceſſionem, & Auctor libri de affectionibus iam præcipit; ſed validas

[margin: 1. ad Glauc.]

lidas vires requirit. Ceterum prouocabamus sudores, & vrinas cum iam coctio apparebat, hoc quod habet, appij radicum m. iij. aneti iiij. coquatur in lib. vi. aquæ ad tertias, eius dabimus ℥ iiij. cum ℥ 1. sacchari declinante accessione, aliquando, & ptissam calidam.

De attemperantibus, attenuantibus, & coquentibus animaduersio vtilis.

IN hac quartana ego nunquam his, quæ attenuant calidis sum vsus, neque salsamentis, neque teriaca, quod nota esset & in corpore bilioso, & sedem in hepate haberet ex adusta bile; quare optime animaduertit Trallianus Galen. in lib. ad Glauc. dormitasse, proponens curam illius quartanæ tantum, quæ exquisita est, & à melancolia pendit naturali; nam calida illa, & attenuantia in biliosis magis incrassant, quam attenuent; ideo parum differre debet cura in his a tertianę curatione; recte autem videtur Trallianus notasse Galenum, qui in terreo humore melancolico, qui sua natura siccus est, siccantia exhibet, cum magis per calida, & humida atenuetur quam per calida & sicca. Nota igitur, quod humor crassus tripliciter fit, aut ob multitudinem terreæ substantiæ, vt naturalis melancolia, aut frigidi concretionem, vt pituita, aut ex adustione, vt in atra bile; primus humor per calida & humida attenuatur, secundus per calida, & sicca, tertius per frigida & humida temperata, & si ob multam pituitam, quæ colligitur in ista febre, aliquando calidiora conueniunt, id per interualla, & cum cautione fieri debet, ergo vtebatur in casu nostro Mater apozemate descripto in capite præcedente, coquendo in aqua cichoreum, acetosam, eupatorium, luppulum cum syrup. de pomis; deinde etiam ob pituitam de duabus radicibus; & quia per hyemem febris duplicata erat, & quotidiana facta, fouebamus ventriculum, & pręcordia oleo melino, camomelino addito croco aloe, & mastice calentibus.

Lib. 12.

Animaduersio vtilis valde.

De corrigendis symptomatis.

SICVT in tertiana rigor validissimus est à principio, deinde mitescit, ita in quartana contra se habet, & cum valde affligeret ægram nostram maxime in hyeme, procurabamus, vt talamo bene calenti decumberet, & in lecto bene coperta iaceret pedibusque, lateres calidis linteis inuoluti admouebantur; tota spina anetino oleo calido vngebatur ante accessionem, aliquando dabamus allium intritum in vino, stomacus absynthij comis oleo frixis, linteo inuolutis calidis fouebatur.

Quia sitis magna erat & valde affligebat, cumque ex nimio potu tumor ventris emineret, iubebam, vt quam parcissime biberet, ne lien aquam

Sitis.

suscipiens,

suscipiens, quod Hypp. timet, hydropem pareret tollebamus sitim tamarindo vel altero aqua macerato ore contento, necnon cerasiis amaris; concedebamus aliquando aquam decoctionis liquiritiæ, hordei, & aneti, quæ illi familiaris erat in potu.

Cruditas. *Cruditates euitabamus, tum lenibus clysteribus, tum glandibus per interualla adhibitis, vnctione pręcordiorum oleo, in quo absynthium efferbuerat, quotidiana frictione extremorum, somno, & commodo nutrimento,*

Lib. tertio. *nam huius febris medela, vt recte scribit Celsus, est vnctio, frictio exercitatio, cibus, vinum.*

De conseruatione Virium.

QVONIAM *Morbus hic nisi statim tollatur diuturnus valde esse solet, ideo in primis diebus tenuiter nutriebamus, & fuit cibus ptissana semel assumpta in die accessionis; diebus intermediis offa panis in iure pulli intincta; aqua vtebatur ex decocto liquiritiæ raræ, & adianti.*

Lib. tertio. *Cleophanteis (referente Celso) in hac febre inedia vtebatur vsque ad diem 7. quod nullo modo admitti debet. Celsus vbi aquam calidam dat biduo a cibo abstinet, & tenuissime alit vsque ad diem 13. quod etiam reprehendendum est, & maxime in biliosis, vt in casu nostro; perseuerauit ergo in prædicto victu per mensem, sed cum febris non cesset, & vrinæ nil boni monstrent satis apparebat longitudo, ideo aliam victus rationem instituendam putauimus, vt quod diu sustinendum erat, facile sustineret. & ideo plenius nutriebatur; carnes pullorum, & columborum cōcedentes, & oua tremula, & aliquantum vini pauci fieri; sed cum malum in die augeretur, & duplex quartana facta esset, rursus ad inediam conuersi semel in die nutriebatur ex iure palumbi cum intrito pane; nam quartana, vt ait Celsus neminem iugulat, sed cum vitio ægri, aut Medici quotidiana facta est in malis æger est; quamuis hic ex vi morbi crescentibus cruditatibus duplicaretur, & denique quotidiana adueniens triplex quartana fieret ad Ver ipsum rigores valde imminuti, & fere continua febris lenta remansit. tunc mutauimus victus rationem, & à vino ad aquam, ab aqua ad vinum, ab acribus cibis ad lenes & è contra. denique totum mutauimus victus genus, quo (vt ait Celsus) ab eo statu demoueretur febris in quo erat. aliquando etiam, quod lenta, & pertinax febris non cederit augere febrē tentauimus, quia quæ ratio non sustinet (vt ait Celsus) temeritas adiuuat; quare maluaticum vinū in media febre dedimus, & ante eam allia intrita.*

Lib. tertio. *Nam circumspecti hominis est mutare interdum, & augere febrem, & innouare, quia si curationem, id quod est, non recipit; potest suscipere id,*

Lib. de locis ī homine. *quod futurum est, ideo recte dicebat Hypp. curationem fieri per contraria, & per similia, sed cū ea, quæ per similia fit, timorosa sit Medicum exquirit*

dili-

diligentem, & accuratum, vt recte ponderet nocumenta, & iuuamenta: Hęc denique febris diarrhea biliosa, quæ per interualla corripuit ægram, sed cũ magnis doloribus post duos annos finita est, paulatim Dei Opt. Max. auxilio; quod vero dixit Hypp. quartanam vltra annum non extendi, intelligit, vt plurimum, & cum virium imbecillitas non adest; finitur enim anno ob solis circuitum.

CAP. IX.

Febris Quintanę casus proponitur.

MVLIER *quædam, quæ per annum quartana laborauit, cum iam esset valde extenuata, & fere tabida quinto quoque die febris tenebat; cuius accessionis magna pars cum frigore erat simul & calore, adeout ephialę refferet naturam quæritur morbi natura, & cura.* 9. Casus.

Dignotio.

PRÆFATA *febris quintana est circuitu, non tamen specie à quartana differens, quia idem humor, qui quartanam faciebat, quarto quoque die ob virium languorem non potentium eo tempore humores pellere ad quintam diem id fecit, confirmatur quia Hypp. tabidis superuenire scripsit.* Primo Epid. *Causa erit melancolia simul cum pituita crassa & tenace circa hypocondria abũdans. Cęterum longiores febres, vt septimana, & nonana, vel vitia sunt naturalia vel proportionem sequuntur virtutis ad humores.*

De primo scopo. An Medicus quidquam facere debeat.

HÆC *febris lętalis censenda est, quod iam extenuatæ Mulieri, & consumptę aduenerit; nec tamen semper ea talis censenda, quia si à principio inuaderet curari posset; at in casu nostro (facto prognostico) blanda cura tentandum, quid natura, & accuratus Medicus possint, nec enim deserendi sunt ęgrotantes; quia sicuti monstra videntur in natura ita in arte ait Auerroes.*

De secundo scopo, deq; commodo Remediorum vsu.

VIRES, *vt quę secundum naturam sunt, sui indicant conseruationem; inter ea, quæ præter naturam morbus nempe febris vix quicquam indicat. causa illius humor. s. crassus ac lentus coctionem, & expurgationem. inter symptomata, frigus, virium imbecillitas, & macies correctionem desiderant.*

De

De Virium conseruatione.

CVM in hoc malo adsit virium imbecillitas insignis, ideo vrget earum refectio, quod per mediocritatem fiet sex rerum non naturalium; precipue alimento, quod facile coquatur. inter, quæ lac caprinum optimum censetur ab Hyppoc. in febribus longis, & languidis cum melle tamen ne coalescat, bibatur statim mulsum, & panis in eo intinctus pro cibo, conueniunt & iura, consumpta, oua tremula, pullorum & columborum carnes elixę; saxatiles pisces ex albo iure. Potus vinum album mediocrium virium. ter in die nutriatur, somnus procuretur, quies, frictio, vnctio.

De his, quæ coquunt, & euacuant.

QVIA humor crassus est, ideo extenuantia requirit qua ratione oximel cum decocto radicũ appij feniculi & adianti dari poterit in apozema. Ventriculus, & hypocondria oleo foueantur, in quo absynthium & menta bullierint addito pauco croco. Vacuationes per clysteres acriores, & paulatim fiant, quia vbi adest virium infirmitas cum humorum prauitate epicrasi vtendum monet Gal. paulatim replendo & euacuando. Cęterum quoad symptomata attinet frigus corrigendum, vt supra diximus capite de quartana, refectio & virium imbecillitas per supradicta procurabuntur quantum fieri poterit.

CAP. X.

Hecticę à principio inuadentis casus ex Galeno libro primo de differentis febrium cap. 9.

10. Casus. ADOLESCENS annorum xxv. temperie abundi sicca, & habitu corporis gracili, capillis nigris cum æstiuo tempore multum laborasset, & curis, ac mestitia affectus fuisset, habito quodam nuncio, adeo iratus est, vt in febrem inciderit hora diei decima sine rigore vel vlla pulsus contractione. Pulsus magnus, celer, & frequens, sed æqualis, calor magnus, sed non mordax, oculi eminentes, facies rubra, temporum pulsus, producta est febris ad horam quartam sequentis diei, declinare tamen cępit hora sesta noctis. Cęterum die sequenti febris nulla conspicua, seruabatur tamen in pulsu per duos sequentes dies frequentia quædam, & calor quidam, qui tactu mitis sentiretur, mox acrior insurgebat maior tamen in arteriis quã in reliquo corpore, accessio nulla neque in quarta die præter quam alteratio quædam maior tum in pulsu, tum in calore, quoties cibum sumeret; quæ

post

post horas duas cessabat. Vrina non multum a sanis distare videbatur quæritur natura morbi, & eius curatio.

Dignotio.

FEBRIS prędicta hęctica est à principio inuadens pręcedente tamen ephemera ex ira, qua in humore cordis facta est ebullitio; & cum corpus dispositum valde esset ad flammam concipiendam remansit stabilis in substantia cordis; atque hecticam peperit, vt manifeste declarant signa subsequentia, præcipue alteratio à cibo, & arteriarum calor maior quam in reliquo corpore, quæ inseparabilia, ac propria hecticæ inditia sunt.

De primo scopo. An Medicus quidpiam agere debeat.

CVM febris hæc adhuc in principio sit; neq; calor valde radices suas infixit, nõ difficile curabitur; sicuti.n.est difficilis cognitionis, ait Gal. ita facilis curationis; at si vlterius progrediretur, itaut pulsus non modo paruus & frequens, sed debilis fiat; (quæ sunt secundæ speciei signa) cum manifesta corporis consumptione, iam difficilem habebit remotionem; verum impossibilem, si iam carnosis partibus absumptis; solidę ita valde exsiccentur, vt facies cadauerosa euadat, quæ marcor, seu marrarmus dicitur, & tabes. igitur in primo, & secundo gradu Medicus sperare poterit sanitatem eamque quam diligenter procurabit, quia sine medici auxilio vix sanari poterunt. in tertia specie solum proroganda vita.

De secundo scopo, quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

DVO agenda se offerunt, vt vires seruentur, & calor in corde firmatus extinguatur, prout ipsæ morbus est, & sui ablationem indicat; nec vlla alia vel à causa, vel à symptomate est indicatio à principio summenda.

De attemperatione, & virium confirmatione dum est in primo gradu.

CVM ex corde, & in corde per essentiam, nec aliunde communicatus sit calor, ideo ex aere, qui potissimum inspiratur principaliter attemperare licet, quem refrigerare oportet non modo arte, sed situ montium, & locorum, quæ perflata sint; hinc præcordia, & præcipue cordis regio linteis madefacienda ex succo acetosæ & rosarum aqua imbibitis, quæ tepida ap-

G plicari

plicari poterint & totum corpus ex refrigerante Galeni vnguento. Ceterum commodo alimento, & nutrire, & attemperare licebit, & ideo cibari debuit prima die statim. Cum vel inedia sola citissime has naturas in hecticam deducat; cibus ptissana est commodissimus, & coctus panis, & lactuca cocta, & pisces saxatiles, qui laudantur in omni febre, & conualescentibus magis, quam carnes; licet Medici nostri temporis id omittant, & vix adduci possunt, vt piscem febrienti exhibeant cum magno errore. Potus aqua sit, in qua hordeum coctum sit, cuius liberaliter bibat cum ea moderatione, ne ventriculum, & coctionem debilitet, & si offendit, vinum imbecillium virium ex medio limphatum, & ita tractatus celerrime (vt reor) febris descedet.

Si Febris hectica fuerit in secundo gradu, seu in secunda specie.

SI autem malum non cedat, & perseueret febricula, cum manifesta corporis extenuatione, tunc in eisdem persistendum, & duo alia auxilia adhibenda in hoc malo potissima quorum alterum balneum est; alterum
10.Meth. vero lac; balneum ea ratione administrari debet, qua docet Gal. sed quia hisce nostris temporibus deest apparatus, ideo fieri poterit assumptis duabus tinis, quarum altera aquam dulcem tepidam habeat, altera vero frigidam, vel potius egelidam hoc est fracta frigiditate. Eger igitur syndone per quatuor Iuuene prius in qua calida duo vel ter mergatur; inde vero
10.Metho. in frigidam ne minimo quidem temporis illic moratus. Nam qui hectica laborant nisi mergantur in frigidam ait Galen. nihil iuuantur; inde vero abstergatur, & oleo violaceo vngatur. Fiatque tota hæc apparatio bis in die mattutina hora, & vespertina; sedata balnei turbatione quod post horam erit, lac ex asina mulctum statim exhibeto, in quo sacchari non nihil sit, ne coalescat, dosis sit ad ℥ iij. & si non corrumpit: quod ex pulsus robore, & bona coctione dignoscetur, in dies augeatur lactis quantitas, cibatur, & eodem lacte cum pane, & ptissana; quod si aluus fluat; nutriatur Asina astringentibus herbis, & frigidis, vt vena, hordeo gramine, &c.

Si fuerit in tertio gradu.

10.Meth. AT si præcedens Morbus non cedat; sed iam in marcorem desinat, qui incurabilis censetur, præcipit Gal. vt tranmutetur intemperies calida in frigidam, & siccam quæ hectica senectutis appellatur. Nam ex ea mutatione id procurabitur, vt vel diutius æger in vita maneat, vel postea ca-
Primo de differ. febrium. lidis & humidis curetur; tempus transmutandi erit in fine secundi gradus, distinguntur autem gradus hecticæ non dierum numero, sed ipsa qualitate dispositionis; modus transmutandi erit, si vtamur balneo frigido, &

aquæ

aquę potu copiosiori, & epitematibus pręcordiis; iam vero habitus frigidus & siccus per calida & humida mutari debet. quare Gal. lacti mel copiosius adhibet, dandaq; intrita ex lacte, & vino oua sorbilia, iura palumborum, stomacus nardino vngendus calido, paulatim & sæpe nutriendus, quies, vnctio totius corporis ex oleo camomelino. 7. Meth.

CAP. XI.

Hecticę febris cum putrida iunctę casus ex Gal. primo de differentis febrium cap. 5.

MVLIER habitu gracili, colore nigro, magnis venis, curis, mestitia, ac vigiliis diu agitata, hora diei tertia per autumnum febri corripitur, cum paruo quodam horrore, mox aucta febris vsque ad septimam horam, declinabat cum madore, ita ut hora diei decima absque febre esset; remanebat tamen in pulsu frequentia; arteriæ reliquo corpore manifestæ calidiores sentiebantur, corpus calore quodam exiguo & arido tenebatur. Rursus noctis hora tertia eadem febri corripitur priori in totum simili, quæ ad horam duodecimam cum madore ita decessit, vt corpus temperatum appareret, remanebant tamen prædicta signa in pulsu, & calore secunda die rursus duabus accessionibus simul correpta est, & tertia, & quarta die per eadem; quæritur morbi natura, & curatio. 11. Casus.

Dignotio.

FEBRIS prædicta, quantum ex signis apparet composita est ex putrida, & hectica; putrida quia habet inuasiones manifestas; hectica vero, quia in decessione putridæ calor, & in corpore hecticus, & in arteriis maior seruabatur, cum pulsus frequentia, accessio putridæ ob breuitatem, & desinentiam cum sudore tertiana apparet; sed quia bis quotidie veniebat quadruplex tertiana censeri debet. Causa bilis pallida circa Iecur in pauca quantitate putrescens; Hecticæ autem febris calor erat in causa cordi infixus ob dispositionem corporis præcedentem.

De primo Scopo. An Medicus aliquid facere debeat, deq; commodo remediorum vsu.

CVM duplex sit febris, altera continua, nempe hectica, altera intermittens, bis tamen in die inualescens periculosa censenda est, sana bilis tamen si recte tractetur, tum quia hectica est in principio, tum quia accessiones putridæ valde mites sunt; erit tamen longior. igitur auxilium Medici desideratur, & acuratum.

De secundo scopo. Quid Medicus facere debeat.

VIRES, quæ secundum naturam sunt, conseruandæ; caliditas infixa refrigerantia postulat; humor, qui putredinem accendit coctionem, & expurgationem desiderat; Inter symptomata nullum hic adest, quod Medici opus desideret.

De Attemperantibus, & conserantibus.

NVTRIENDVS æger parce quidem, & hora conuenienti quam longissime ab accessione; ideo ptissana illi optimus erit cibus, quę bis in die exhiberi poterit; ad attemperandum vero in potu vtatur aqua hordei, cuius aliquando ℥ x. cum iulapio violaceo, vel oxisaccharo ad ℥ I. dari poterit. Nam hectica refrigerantia postulat, neque putrida vt biliosa renuit; scimus.n. bilem coqui maxime per attemperantia; perseuerante febre hectica, ad ea, quę extra applicantur epithemata frigida, veniendum in intermissione, quæ ex acetosæ succo cordi, & præcordiis adhibenda.

De coctione bilis, & expurgatione.

ALVVS clysteri communi leniatur per interualla, vt transitus aperiantur; bilis acetoso syruppo simplici ad ℥ ij cum decocto adianti, cichorij, acetosæ, ad ℥ iiij præparetur; Mox coctione apparente; si tibi videbitur purgandum, (neque.n. id semper faciendum est, vt male consueuere Medici, quia quo natura vergit, eo ducere oportet, & quæ integre iudicata sunt, non mouendum) poteris purgare ex ℥ ij raubarbari infusi cum ℥ iij syruppi rosati solutiui; sudores, quia eo natura vergit, mouendi, cum declinatio accessionis venit, data calida ptissana.

CAP. XII.

Hecticę notę Casus & symptomaticę ex viscerum corruptione, & tabe.

12. Casus. *MVSICVS quidam boni habitus, in ætate consistentiæ, bibacissimus & crapulæ, ac veneri deditus, duplici tertiana notha, sed continua laborauit multis mensibus; multoties purgatus, & variis auxiliis vsus, tandem relicta est febricula quædam hecticæ naturam redolens; Pulsus paruus, cęler, & imbecillis, ciborum ingens inappetentia, & præcipue carniũ, vinũ vero supra modũ appetebat; ventriculi aderat lãgor, vapor ex ore insuauis, macies multa, vrina varia, quęritur morbi natura, & curatio.*

Dignotio.

Dignotio.

PRAEDICTA febris in genere hecticarum est, cum lenta sit, & sine accessionibus, verum symptomatica ex corruptione, seu labe alicuius visceris, & cum tertianæ successerit. Iecur affici verisimile est, in cuius substantia effusa bilis, & liquefacta viscus corrumpit, hinc appetitus ille magnus vini. Nam licet intemperies naturales contraria desiderent, vbi tamen habituales sunt ad similia feruntur. Hinc communicata ventriculi affectione, inappetentia illa, & imbecillitas nascitur. Lib.1. Artis Med.

De primo scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

CVM in hac febre praua sint symptomata, nec vllis remediis cessare videatur, extremaque macies adsit, & viscus in substantia corrumpatur, nulla relinqui videtur sanationis spes, & per consequens omnem curam renuere videtur, nisi eam, cum qua vita producatur. sicuti.n. (Gal. teste) nullum remedium est ad putredinem, quæ cordis substantia occupauerit, quod excogitari possit, ita cum viscus aliquod princeps corrumpitur, nullum apparet in medicina remedium; quod si ex blanda cura aliquod iuuamentum senserit, audacius ad maiora remedia veniendum erit. 3. de præcognitione ex pulsu.

De secundo scopo. Quid Medicus facere debeat, deque commodo remediorum vsu.

VIRES, quæ imbecilles, admodum sunt sui conseruationem indicant, cruditates quæ aceruantur quotidie circa præcordia, & ventriculum vacuationem desiderant, corruptio membri per contraria sananda; Iecoris; & ventriculi imbecillitas, inappetentia, sitis illa vini, correctionē postulāt.

De conseruandis viribus, & corrigendis symptomatis.

VBI adest virium imbecillitas cum humorum prauitate parum & sæpe nutrire oportet, & paulatim euacuare; alimentū ergo sit boni succi & facilis coctionis, & diuersimode conditū, vt æger assumat, quod magis placet; inter cætera pisces saxatiles apprime laudātur, & assi, & elixi; ptisana itē cum seminibus peponis, & amigdalatū cū saccharo, lactuca, cucurbita, & cicoreū cocta, ante cibū, cappares cōditos ad appetitū conciliandū, assumat, & corroboretur stomacus cū oleo melino, quo absynthium, menta, ebullierint. Potus sit aqua ex decoctione hordei, acetosæ, & adianti, vel vinū, sed valde oligopherū austerū, & lymphatū, aduersatur.n.huic malo vinū grāde, quod ab illius copiosi potu nascatur, fallēda prætera sitis illis, quæ in ore tenentur, vt tamarindis in aqua maceratis, vel cerafeis amaris.

De

De expurgatione humorum, qui aceruantur.

CVM adsit humorum corruptio, ea paulatim vacuanda est, in quem vsum chlysteres per interualla adhibeantur communes. Itemq; purgetur frequenter pillulis de tribus. s. ex aloe agarico, & raubarbaro ad ʒ I. quæ cum syruppo absynthij formentur, poterit etiam vti syruppo ex infusione rosarum ad ʒ iij, quæ post primum somnum assumantur.

De his, quæ Iecur roborant, & putredini repugnant.

SERVM lactis inter ea, quę attemperant, & detergunt Iecur ac roborant magnam vim habere scribit Gal. cum.n. sit amaritudinis cuiusdam particeps Hepar extergere, & aperire eius meatus potest sine manifesta refrigeratione, aut calefactione. huius ergo seri caprini bene depurati lib. vnam assumat calidam per aliquot dies in aurora. Cęterum finito sero; assumat singulo mane ad Iecur roborandum hanc potionem, quæ habet succi cichorij ʒ ij, aquæ fontanæ ʒ iiij sacchari coclearia dua aromata maxime resistere putredini, & Iecur roborare ait Gal. sed quia malum ex calidam intemperie originem habere videtur, ideo potius roboratio fiet assumendo conseruam de accido cetri succo Iecoris regio sandalino vnguento bis in die illineatur.

8 per loca.

Gal. octauo Lib. per loc.

CAP. XIII.

Hecticę Pestilentis Casus ex Gal. 3. de præsagio ex pulsibus cap. 3. & 4.

13. Casus.

NAVTA quidam annorum xxxx. è longa trirenium navigatione rediens, febri corripitur cum corporis grauitate, anxietudine, siti, vigilia, & inappetentia; erat tamen calor mitis adeo vt vix febricitare se sentiret, detenta tamen diu manu acrior assurgebat, sed conspicue magis ad thoracem; pulsus parum a naturali desidens cum aliqua tamen frequentia, & langore, vrina colore, & consistentia naturali similis, cum quibusdam tamen sublimamentis sublucidis, & aranci telis similibus; color vultus grisipelucēs, ardorq; in oculis, alitus insuauis, quę oīa statim prima die apparuere, & perseuerarūt tertia, & quarta quęritur morbi natura, & curatio.

Dignotio.

FEBRIS maligna est pestilens de natura hecticę, in qua non humores modo aut spiritus, sed cordis substantia indicibili putredine corrumpitur;

pitur; occasio vel contagium fuit ex aliis corporibus, vel aquæ, & victus prauitas per nauigationem, quod si dicas, cur lęsa adeo vitali facultate, neque pulsus, neque vrina, aut calor, nulla insigni mutatione varientur. Respondent aliqui id prouenire ex naturæ imbecillitate, quæ morbo succumbens non audet pugnam aggredi; quod tamen caret probabilitate. Cum natura nostra nunquam cesset ab opere, & prudentissima sit, ergo referenda causa est ad cecam putredinem, neque oportet, vt omnia pariter augeantur, & mutentur in omni febre. Hic vero cum calor magis qualitate maligna pecet, quam quantitate, non mirum est, si vix febricitare se sentit, & pulsus non ita dilatatur, vrget tamen inquietudo, vigilia, sitis, inappetentia, quæ morbi sęuitatem præseferunt.

De primo scopo. An Medicus aliquid facere debeat, deq; commodo Remediorum vsu.

CVM *hæc febris sit toto genere lętalis, (quod.n.remedium ad putredinem, quę cor occupauit excogitari potest?) ideo nil Medico agendum remanet, nisi vt, prognostico facto astantibus, ad tentandum, quid natura, & Ars possint. Nam cum solum humores, qui in corde continentur, & non substantia putredine afficiuntur, aliquas spes remanet sanationis, docuit autem id cognoscere, quia si pulsus esset extreme languidus cordis substantia afficitur, vbi vero non ita languent, humores, illud tamen admonet Gal. aliquando ob contrarias intemperies cordis, & arteriarum fieri pulsus naturali similes, vt si cor calet, arteriæ vero frigent, aut è contra, quod vbi ea ratione prouenit non ita timendum est.*

Quid Medicus facere debeat.

VIRES, *vt quæ secundum naturam sunt, conseruandæ; humorum apparatus vacuationem indicat; putredo illa indicibilis alacri pharmaco, symptomata, vt vigilia, sitis, inquietudo, inappetentia corrigenda sunt.*

De vacuantibus.

QVAMVIS *humorum apparatus non sit causa peculiaris huius febris; est tamen causa sine qua antidota recte operari nequeunt appello autem apparatum humorum eorum multitudinem, quæ in venis est, & circa primam corporis regionem; sanguis ideo (glande tamen prius aluo emolita) mittendus ex basilica brachij dextri ad ℥ x. quod si ex ea aliquod leuamen sentiat repetenda sequenti die ad ℥ vij. ex brachio sinistro ab interna vena; clysteri sequenti die aluus lenienda communi, aut ex syrupo rosato sol. ad ℥ iij leuiter expurgetur.*

De

De his, quæ veneno repugnant.

CVM vitium sit in qualitate magis, quam in quantitate, & à tota substantia, ideo remedia etiam præcipue adhibenda, quæ occulta quadam qualitate oppugnent, & quia sedes mali in corde ponitur; ideo in aere, qui celerrime inspiratione atrahitur statim alteratio quęrenda: is ergo suffitu ex belsuino, santalis, caphora aloe corrigi debet; indumenta irriganda ex aqua, & aceto rosaceo, quo etiam nares, frons, pulsus illineantur; Interea, quæ per os summuntur, pręstantissimum antidotum est lapis betzoar orientalis, cuius grana sex in puluerem redacti cum aqua acetosæ summatur semel in die ieiuno stomaco; cordi vero epithema aquæ rosarum vini maluatici, & generosi an. lib. 5. aceti rosati ℥ 1. omnium santalorum ℥ 5. muschi, ambris an. g. vi. tepidum applicetur alternatis linteis duabus horis ante cibum semel in die. Cucurbitulæ quoque emuntoriis maxime ad inguina, ad axillam sinistram, scapulis, cruribus applicandæ, & vnctiones ex camomelino oleo calido faciendæ axillis, & inguinibus, & post aures, vt detur naturæ occasio vergendi ad abscessum.

De conseruandis Viribus.

QAMVIS febris sit acuta valde, & ideo tenuissimo victu sit vtendum quia tamen maligna est, & vires valde deiecit ea ratione vberius nutrire oportet, quod in omni pestifera febre seruandum est; vbi. n. vires deficiunt cum humorum corruptione parū & sępe alendum scripsit Gal.
1. Aphor. *habet etiam alimentum vim remedij, vt obtundat veneni vires, ideo ius pulli, sed magis palumbi, in quo acetosa, burrago, cicerbita, & menta sint incocta intrito pane erit accommodatum alimentum bis in die, vel ptissana cum citri seminibus condita, & aliquantulum boli armeni, conserua quoq; ex accido citri succo per interualla danda; si vero vires difficiunt destilata aqua paretur, qua vti poterit ad vires reficiendas simul, & morbum pugnandum; (Alimentum. n. in medicina optimum dicebat Hyppoc.) habet*
Lib. de alimento. *vero aqua hanc formam, ℞ conserue buglossæ, rosarum, corticis citri conditi an. ℥ ij. foliorum veri diptami tormentille an. ℥ ij. Zedoariæ egentianæ an. ℥ 5. theriacę veteris ℥ ij. aqua decoctionis duorum capponum alteratorum cum oxalide, portulaca, scabiosa, borragine lib. x. foliorum auri num. xx. fiat destillatio artificialis, seruetur aqua in duplici vase sub cinere, & detur eius ℥ 1. ante cibum, seu mattutino tempore in locum syruppi.*

De

De symptomatis corrigendis.

VIGILIA populeonis unguenti unctione ad tempora, guttur & carpos propulsabitur, & cocleari uno, aut altero syruppi de pappauere cum erit dormiendi hora, sitis ex aqua acetosæ cum iulapio facto ex acetositate citri mitigabitur. Inquietudo per ea, quæ dicta sunt, epithemata, & potiones tolletur, quod si nimis infestet ʒ I. philonię romani antidoti cum maluatico propulsabitur. Ad inappetentiam, foueatur ventriculus cum oleo è nuce muscata, deturque in potu succus granatorum, vel cotoneorum, cappares quoque illi apponantur, & cogendus, vt commedat.

CAP. XIIII.

Febris Anglicę, quæ anno Domini 1486. primo in Anglia visa est. Casus.

NAVTA quidam nauis gubernator Anglus ætatis annorum xxx. boni habitus, mense Septembris circa horam diei decimam in febrem incidit validam cum sudore magno veloci, & vehementi, qui fetidum spirabat odorem, stomaci, & capitis dolor æstuosus, cordis palpitatio, anxietas, ęstus, sitis, pulsus cęler, frequens, languidus, & per interualla animo deficiebat, quęritur natura morbi, & ipsius curatio. 14. Casus.

Dignotio.

FEBRIS descripta pestilens est, & toto genere maligna, earum quas appellat Hypp. ειlodes, seu sudorificas, dicitur autem Anglica, quia in ea prouincia primum visa est Anno Domini 1486. indeque per totam Belgicam, ac Germaniam dissem inata est. Causa est ineffabilis in corde putredo, seu in humoribus illius, qua irritata natura per continuos sudores conatur morbum depellere.

De primo scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

CVM febris hæc toto genere maligna sit, & in corde viresq; perpetuo sudore prosternat; prorsus letalis censenda, atque intra tres dies hominem interficiet per virium dissolutionem, nisi eum virium robur, quod vnum in pessimis morbis salutis causa est præseruet; facto itaque prognostico, Medicus circa ægrum negotietur citra culpam.

De ſecundo Scopo. Quid Medicus facere debeat, & de commodo Remediorum vſu.

VIRES præcipue ſunt conſeruandæ; maligna illa morbi qualitas oppugnanda, ſymptomata lenienda.

De conſeruatione Virium.

QVAMVIS morbus ſit omnium acutiſſimus, quod in horis xxiij. iudicari ſoleat, quia tamen vires deficiunt aliquid dandum per interualla, quod & ſuſtineat, & repugnet morbo, cuiuſmodi erit aqua illa, quam in præcedenti capite deſcripſimus; interim vero dum animo deficit panem vino intritum dandum calidum aut vini maluatici cum pauca roſacea mixti tantundem conſerua quoque ex accido citri ſucco cum bolo armeno, & puluere lapis betzoartici; ventriculus roboretur mentæ abſynthij foliis oleo infrixis calidis.

De antidotis, & his quæ reſiſtunt veneno.

AER ex aloe ligno, ſantalis, belſuino per ſuffitum corrigatur, aqua acetoſæ exhibeatur cum granis lapis betzoartici, & ſyruppo acetoſitatis citri, ſic ſitis etiam ſedabitur, vngantur nares, tempora, pulſus, roſaceo aceto; quoad ſudorem attinet dubitandum, ne ſi retineatur æger pereat, cum natura per eum morbum pellat quaſi per criſim vnde Angli cum hac febre corripiuntur ſtatim ſi veſtiti ſunt cum veſtibus decumbunt, & cooperiuntur, & ſudorem quantum poſſibile eſt ſufferunt, quod nulla alia melior via ſit euadendi; ſed vbi vires deiciat, & ſyncopim inferat ex alia parte reprimendus videtur, & ideo letalis eſt hæc febris vbi ſudores ferre nequeunt; iaceat autem æger obſcuro loco in ſtratis molliſſimis, & ſi fieri
4. Acutorum. *poteſt decubitum in vno loco quamdiu tolleret ita. n. iubet Hypp. fieri in anxioſis febribus; poterimus quoque ad anxietudinem, & æſtum dare theriacæ quatuor menſium ℥ 5. cum aqua roſacea.*

CAP. XV.

Febris cum puſtulis, ſeu variolis caſus ex Hyppocrate VI. epidemiorum 6.

14. Caſus. *PVER annorum xiiij. boni habitus edax, in Vere menſe Aprilis iuxta occaſum ſolis febricitare cepit, calor magnus, pulſus celer, & frequens,*

quens, validusque, capitis dolor, & grauitas cum somnolentia, facies rubra, oculi lachrima, narium pruritus, vrina ruffa, sequenti die apparebant per totam faciem, & corpus pustulę quædam latę ad similitudinem lentium colore subalbidæ, & subrubræ quęritur natura morbi, & curatio.

Dignotio.

FEBRIS *continua est, acuta, putrida de natura sinechi; putredinis caracterem ostendens per papulas illas, quę variolæ communiter appellantur; morbus non sanè nouus, sed antiquus, cuius mentionem fecit Hypp. primo epidemiorum in Sileno, & sexto in Simone. Causa sanguis est crassior, quod ex albedine, & latitudine pustularum dignoscitur; qui sanè sanguis veluti vinum ebulliens, vt à prauis succis expurgetur, febrem accendit, & reliqua numerata accidentia; transmittit autem humores prauos ad cutim profunda corporis expurgante natura, tanquam ad receptaculum omnium excrementorum, natura temporis, nempe veris adiuta.*

De primo Scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

QVAMVIS *pustulę secunda die exierint, cum nec sint mali coloris neque adsint maligna symptomata intra septimam diem salus sperari poterit expurgante natura corporis profundum ad cutim; cum tamen acuta sit febris, & periculosa, timorque sit ne offendantur partes principes; ideo manus medicę desiderantur in hoc morbo.*

De secundo Scopo. Quid Medicus facere debeat, deq; commodo remediorum vsu.

VIRES, *vt quæ secundum naturam sunt, sui postulant conseruationem calor ingens, qui morbus est, & pręter naturam attemperandus; multitudo materiæ vacuanda; Partes nobiles tutelam sui requirunt; maculæ delendę.*

De vacuantibus.

CVM *signa prima die erumpentium variolarum conspicua essent, si Medicus prima die esset vocatus, sanguis ad ℥ vij. ex basilica brachij destri mittendus erat; sed etiam die secunda licet iam variolæ erumperent, mitti poterat sine vitio, ob materię copiam & corporis plenitudinem: leuata n. natura melius transpirans expeditior iudicatio fiet, quod si Puer esset annorum 7. nihilominus sanguis mittendus erat, aut cucurbitæ cruribus*

applicandæ, quæ etiam in breuibus cum secura sit fit magno cum iuuamento in Hispania. Quod pertinet ad purgationem nulla in hoc malo conuenit valida, quia traheret intus humores, qui ad cutim vergunt, ideo dixit Hypp. in Simone vomitum non contulisse, qua ratione neque purgatio; sed per lenes clysteres aluus leniter vacuanda ex decocto maluę violarum, hordei, & mercurialis cum saccharo, addito oleo violaceo; poterunt etiam exhiberi ad purgãdum ventriculũ, & intestina mannę ℥ ij. cum iure pulli.

6. Epidem.

De attemperantibus, & vacuantibus.

MOTVS naturę ad cutim potius adiuuandus, quia quo illa mouet, eo ducere conuenit; inter cętera aer thalami tepidior sit, & operiatur mediocriter; non tamen adeo vt stranguletur, assumenda, quæ attemperent calorem, & simul euacuent qualis est aqua hordei calida a principio cum saccharo; procedente tempore coquatur in ea radix appij, & anethum, & vua passa ac adiantum; licebit etiam addere syruppum acetosum simplicem, aut granatorum, euocabunt & fomenta ex aqua calida feruore iam extincto, & declinante febre; ad resoluendum etiam pustulas aptissimum; ideo Simon ait Hyppoc. cum calida lauaretur iuuabatur quamuis vbi satis natura pellit; vt in casu nostro non multum laborandum in euacuatione.

De defensione partium nobilium.

CVM in hoc malo impetus naturæ aliquando in partes nobiles fiat cum magno egri discrimine, vt in oculos cęcitatem, in guttur, & pulmones suffocationem, in intestina, & stomacum disenterias, in nares putrefactiones efficiat, ideo his occurrendum est, & pro tuendis oculis pharmaco vtendum, quod mediocriter astringat, & leniat, quale erit oui album rosacea conquassatum addito croco pẽna illinendo; Ad defensione faucium & oris gargarizet aquam plantaginis cum diamorone, quod si iam vlceratum sit os succum plantaginis cum oxisaccharo, & aqua hordei; pro tuendo pulmone, ore tenuat pillulas bechicas, & supino iacente lambat syruppum myrtinum. Ad intestinorum tutelam vtatur clysteribus ex lacte, & iure capitis castrati addito plantaginis succo, stomacus potione vini granatorum roborabitur; nares vero oleo & aceto rosaceo penna illineantur.

De maculorum cura.

SI variolæ ex se dissoluuntur facile, nil faciendum est, sed si perseuerans emolliendæ, & maturandę vnctione olei camomelini calidi, & nisi re-

soluantur

soluantur acu pungendæ, & thuris puluere implendæ, si vero maculæ remanent aqua ex melle destillata illinantur, & ipso melle; balsamum quoque, quod ex India occidentali affertur præstantissimum est remedium.

De virtute conseruanda.

C*VM febris acuta valde sit, & ex humorum abundantia pendeat, tenuissimam requirit victum, & præcipue vsque ad quartam diem; dandum tamen est aliquid ætati, & poterit vti ptissana in cibo bis in die data, potus vero aqua hordei cum iulapio, & limonis succo, neque enim vinum dari debet, vt fieri solet ne ignem igni addamus; Nam si Hypp. illud interdicit pueris etiam sanis, quanto magis febricitantibus, & febre acuta vbi caput plenum est, & euaporat totum corpus ex ebullitione, vt in casu nostro.*

CAP. XVI.

Febris cum maculis, quę Peteccię dicuntur casus ex Hypp. 2. epid. sect. 3.

A*LEXANDER barbitonsor habitus crassi colore ruffus, & temperie satis sanguinea ad initium Septembris incidit in febrem cum membrorum quadam lassitudine dolore capitis, pulsus constrictione, calor intus magnus, & præcipue in pectus. Sed foris paruus, sitis ingens, vrina crassa turbida, secunda die eadem, tertia auctus capitis dolor, somnolentia, surditas, & delirium per interualla, quarta die ad vesperam per dorsum & pectus asperitates quædam miliaceę apparuerunt ad similitudinem morsus pulicum non pruriginosæ colore abunde rubro, perseuerabant symptomata quamuis morbum melius ferre videretur. Quæritur natura febris, & eius curatio.* 16. Casus.

Dignotio.

F*EBRIS proposita continua est acuta, putrida, & maligna, non ex pura, vt in variolis, sed ex praua sanguinis ebullitione; cum vero adsit humorum copia, & crassities, ex feruore vapores ad caput sublati, factus est æger comatosus, surdus, & delirans, quod familiare est his febribus vt Hypp. scripsit, Mulieres. s. quæ ea constitutione febricitarunt habuisse circa 7. 8. & 9. huiusmodi maculas, quarum etiam in Syro phrenitico mētionem fecit, vt non iam nouum, & inauditum morbi genus hoc existimandum sit, licet multis ante temporibus inuisum, ac primum Corsicę Insula nostris temporibus in conflictu Gallorum conspicuum fuerit.* 2. Epid. 3. 7. Epidem.

De

De primo ſcopo. An Medicus quicquam agere debeat.

CVM febris acuta ſit continua, maligna, cum prauis ſymptomatibus, valde periculoſa cenſenda eſt, verum cum hæc febris infida ſit non exacte prędicere poſſumus maxime à principio, veriſimile tamen eſt ſi bene tractetur æger febrem intra xiiij. diem abituram, quia maculæ rubræ ſunt, & melius ferre morbum videtur poſt illarum apparitionem, cauendum tamen hic ne te fallat ſimilitudo, quæ eſt huius mali cum morbillis, qui reponuntur inter puſtulas paruas admodum ſed cum pruritu, & aliqua cutis eleuatione; nec malignam putreſcentiā habent, vt maculę, ſed eandem cum variolis generationem; verum ex ſubtiliori ſanguine. Iudicabitur autem morbus per maculas illas ad cutim emergentes, ſunt enim (vbi rubræ apparent) ſigna ſuperantis naturæ.

De ſecundo ſcopo. Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vſu.

VIRES, quæ ſecundum naturam ſunt, ſui conſeruationem indicant, apparatus humorum vacuandus, humor ad cutim educendus, malignitas oppugnanda, febris extinguenda, & ſymptomata ſedanda.

De vacuantibus.

CVM adſit multus humorum apparatus, & craſſities, quæ ob multitudinem, & malignitatem vix admittere coctionem poſſunt; ideo ſtatim accedente Medico licet die quarta, & licet iam maculæ apparuerunt,
11.Meth. *ſanguis mittendus eſt à baſilica deſtri brachij ad ℥ viij. vt depoſita, vt Gal. dicebat, Sarcina, & tranſpiratione facta natura ſuperior euadat, & cęteris remediis detur locus. Hinc ad clyſteres veniendum, qui acriores ſint, medicamentis purgantibus in totum reiectis, ne trahatur materia intus; opus vero clyſterium laudabile eſt admodum, vt euacuans leniter, & reuellens humorum motus ad caput, fiatque ſi fieri poteſt, & facile ferat quotidie, ſin minus tertio quoque die.*

De euocantibus ad cutim.

QVIA Natura ad cutim vergit, locum conferentem adiuuanda eſt per ea quæ euocant. Nam ſiue ſit crittica ſiue ſymptomatica excrectio, quia cum venenoſa ſit materia præſtat vtcumque extraeſſe quam intra; hunc vſum præſtabunt cucurbitulæ, & cum ſcarificatione, & ſiue ea,

quorum

quorum vsus debet esse frequens, & quotidianus; applicentur scapulis, dorso, cruribus. quare rectè sanè e iunioribus doctissimus Valesius solo hoc duplici auxilio .s. clysteribus & cucurbitulis malignas febres curari pręcepit. Ad eandem euocationem confert etiam aqua hordei addito Iulapio violaceo, calida per interualla bibita; quæ sitim quoque domabit. Aer procuretur tepidus, & mediocriter caleat, ne ea frigiditate densata cute humores intus pellantur; frictiones etiam præcipue cruribus valde vtiles sunt in hoc malo, & sane mirum quod Medici nostri temporis earum vsum pene omisserint.

De Antidotis.

PER *totum tempus, postquam corpus missione sanguinis, & clysteribus vacuatum est, vtendum illis, quę veneno vtcumque resistunt, inter quę vt supra dixi, lapis betzoar in puluerem tenuissimam redactus ad g. 5. aut 6. cum aqua acetosę detur, inde sestu pulueris diamargharitonis frigidi ϵ 1. cum eadem aqua dari potest, vel boli armeni tantundem; sed si in peius omnia ruant, vt fere disperata res videatur, solent aliqui dare ea, quæ calidissima sunt, & fere ignis vim habentia, quemadmodum est (quamuis extremum remedium, aqua elixir, vitæ dicta, quæ à Mathiolo describitur in suo Dioscoride fol. eius ʒ ij. dantur cum ℥ iij. aquæ endiuiæ, solet quoque inter extrema remedia numerari oleum, quod dicitur contra venenum, quo pulsibus, & cordi fit ter singulis 6. horis vnctio, sed hęc nimis violentia sunt; casus tamen aliquando requirit; vidi ego hominem hac febre correptum, & valde æstuantem pro deplorato habitum, qui vini potentissimi (nos gręcum dicimus) potu sanatus est, vt non mirum sit si hæc febris peculiarem quendam curandi modum requirat diuersum ab aliis.*

De leniendis symptomatis.

SITIS *lotione oris ex aqua hordei, & detertione linguæ sedabitur, & si in ea contineat tamarindum, aut cerasia accida, capitis dolor oxirodino syncipiti applicito, & temporibus lenietur nec non prædictis clysteribus, & frictionibus; æstus ingens aeris refrigerio, qui inspiratur, & potu frigidæ moderata tamen quantitate addito limonis succo, & iulapio violaceo; raro .n. in febribus aqua simplex, & frigida exhiberi debet nisi sacchari adhibeatur, aut aliquid aliud, quod frigiditatem corrigat, & sit veluti eius vehiculum; Nam aqua simplex (vt ait Hyppoc.) in pręcordiis moratur, & sitim accendit* 4. Acutorum *somnus aceti rosati olfactu prohibetur.*

De conseruatione Virium.

CVM prædicta febris acuta valde sit, & ex copia humorum pendeat, ptissana bis in die data cum seminibus citri accomodatus victus videtur, vel offa ex iure pulli, quo borrago, acetosa, hordeum, vuæ passæ, & cichoreũ fuerint diutissime incocta, lactuca quoq; dari potest. Potus aqua in qua hordeũ coquatur addito sacchare, & limonis succo vel granatorum.

CAP. XVII.

Pestis Bubonicę, & cum Carbunculis Casus ex Hypp. 2. Epid. sec. prima.

17. Casus. *CVM Triremes Nostræ nauem turcicam cepissent, qua Homines infecti peste erant, illico in eos malum peruagatum est; febricitabant.n. vehementer cum capitis ingenti dolore, ac vigilãte comate, lingua scabra, arida, sitis, vomitus varius, vrinæ variæ, crassæ, turbidę, fetentes, aliquibus nigræ, apparebant. quibusdam tumores circa inguina ingentes, aliis circa axillas; quorum aliqui bubones, aliqui vero carbunculi naturam referebant; apparebant inquam bubones, & carbunculi aliis ante febrem, aliis secunda, aut tertia, aut quarta die; & moriebantur alij eadem die; alij secunda, tertia, aut quarta, alij ex viriũ robore euadebant, vel disrupto abscessu, vel aluo, vel sudore copioso; quæritur natura morbi, & eius cura.*

Dignotio.

MORBVS prædictus pestis est, & epidemica cõtagiosa non ex aliqua aeris constitutione nata, vt qualis Hypp. tempore in Cranone carbunculos excitauit ex immodica aeris humiditate, nec ex cadauerum, paludum, aut antri cuiuspiam exalatione nata; sed per contagium communicata maligna qualitate per vapores ex infectis hominibus, & mercibus, quæ erant in Naue; afficiebantur autem corpora tum per inspirationem sensilem, quę pulmonibus fit, tum insensilem, attracta per poros perniciosa putredine. hinc concepta Cordi & visceribus Cęca malignitate conabatur natura pellere ad emunctoria axillas. s. & inguina; vnde fiebant carbunculi, ac bubones, qui vt docet Hypp. germina sunt viscerum; nec mirum si illi magis moriebantur quibus ad axillas abscessus apparebant, quia abscessus debent esse ad partes infernas, vt scripsit Hypp. quam longissime à morbo; sed illis certe mors iure adueniebat, quibus bubonibus decrescentibus febres augebantur, recurrente intus materia; est autem hoc morbi genus,

[Margin: 2. Epid. 1.] [Margin: 6. Epidem.]

nus, quod per contagium afficit corpora, & mercibus adportatur valde frequens nostris temporibus, antiquitus vero vix ac ne vix quidem notum; quamuis Gal. mentionem faciat pestis cuiusdam quę ventorum vi adportata fuit Athenas ex Africa. Libro de diffe. febrium.

De primo ſcopo. An Medicus aliquid facere debeat.

CVM non ex aere, ſed per contagium ceperit morbus, ſi prudenter occurramus facili negocio extinguetur; ſin minus contagio aeri comunicato per vapores ex corporibus eleuatos periculum eſt ne tota inficiatur prouincia; ſicuti ignis ex parua ſcintilla in immenſum creſcere ſolet.

De ſecundo ſcopo. Quid Medicus facere debeat, deq; commodo remediorum vſu.

DVO ſe in primis offerunt facienda, alterum vt quod futurum eſt malum prohibeatur; alterum, vt id, quod iam factum eſt extirpetur; quorum primum ad præcautionem; ſecundum vero ad curationem ſpectat.

De prȩcautione.

PRÆCAVTIO duo capita habet, alterum ne contagium diſſeminetur in prouinciam; alterum vero ne qui iam ſani ſunt in triremibus afficiantur. Quoad primum attinet Triremes ad aliquam inſulam inhabitabilem prope tamen continentem, aut ad ſitus aliquod longe ab abitatoribus mittendæ. locus eligendus ſalubris, eminens, & apertus; ibique fabricanda ampla domus lignea, quę inſeruiat pro hoſpitali ægrorum; deinde fiant alia tuguria diſtantia per milliare vnum ab eadem domo pro ſanorum habitatione. Fiat autem edictum ex mandato Principis ſub capitali pęna ne quiſquam à termino præſcripto egrediatur; ad habitationes. adportentur Nauicula quæ neceſſaria ſunt pro victu & medica officina, & relictis his prope locum recedant. Interim omnia, quæ ſunt lanificia, & merces vel comburantur, vel loco ſeparato exponantur aqua maris bene expurgantę, pro qua re deputabuntur aliqui ſorte extracti, qui habitationem habeant ſeparatam à ſanis; deputentur xx. homines ſorte extracti, qui ægros, ſi qui inficiuntur ad hoſpidale deferant, & qui mortuos ſepelliant, & ſeparati degant. Contagium autem præcauetur, & correctione aeris, & corporis diſpoſitione; corrigitur aer ea ratione, qua Hypp. fecit Athenis incenſis ignibus ex lignis odoratis, vt lauro, mirto, iunipero. tuguria & habitationis aſſiduo ſuffitu ex mirra, aloe, belzuino, thure, corrigantur, & manibus pila odorifera teneatur ex eiſdem. Quod pertinet ad corpo-

Libro de differ. febrium. ris dispositionem tria facienda sunt, vt Gal. docet, exiccare corpus, facile transpirabile reddere, & alterare per amuleta, & ea, quæ veneno resistunt; primum fiet victus ratione parca, & exiccante; inter cætera carnes columbarum præcipue laudari solent, quod pesti resistant. Celsus iubet, vt semel in die comedant. Potus modo aqua malo vinum; exercitatio procuranda, fugienda satietas, cruditas, libido, & omnis intemperantia; corpus transpirabile redditur tum purgando, tum sanguinem mittendo in his, qui valde repleti sunt; vltimo corpus redditur inhabile ad virus si summat pillulas ruffi ad ʒ 5. quotidie quæ habent. ℞ aloes ʒ ij. mirrę, croci, an. ʒ I. cum vino fiat massa ex qua in formam pillularum quotidie ante prandium per horam summat; præseruat etiam theriacis ʒ I. per interualla ex vino desumpta, & bolus armenus. Herba quoque, quę tassus barbassus dicitur, præstantissimum est antidotum, siquidem ad eam concurrunt Mustulæ ne morsu serpentem lędantur, nuces item cum ruta, & sale si comedantur ieiuno stomaco vim præseruandi habent maximam.

Quid agendum in his, qui peste infecti sunt.

VIRES, vt quę secundum naturam sunt sui conseruationem requirunt; putrefacta iam materia extra corpus pellenda; venenum tam in corpore, quam in abscessibus extirpandum, & oppugnandum; symptomata lenienda ęconomiæ, siue gubernatio circa ægros in primis procuranda.

De gubernatione ægrorum.

PROCVRANDVM in primis, vt ægrorum res (æconomia appellat Hypp.) recte instituantur. igitur quatuor Medici Phisici eligantur, & sex chirurgi, qui magna mercede conducti adsint. præterea Astantes decem, qui omnes ægros gubernent successiuo quodam ordine, & caritate christiana inseruiant, qui antidotis prædictis muniti circa ægros versentur, separatam tamen habitationem habeant à sanis.

De his, quæ venenum educunt.

4. Aphor. CVM nulla in hoc malo sit expectanda coctio, ideo statim eadem die vacuandum iuxta Hyppoc. consilium; ideo valentibus viribus statim sanguis mitti debet, etiam si abscessus appareāt circa alas, & si habuerint naturam carbonis eo magis; sed si apparente abscessu minuuntur aliquo pacto symptomata, & bene fert morbum tunc mittere sanguinem non expedit, sed magis attrahere ad locum, quod si abscessus non apparent excitandi cucurbitulis ad emunctoria positis, & vnctionibus, atque emplastris, medi-

medicamenta autem purgantia ob febris vehementiam non conueniunt nisi lenia, vt raubarbarum cuius cum aqua acetosæ vel vino ʒ iij. dari poterunt statim fiant clysteres per interualla.

De cura abscessus.

ABSCESSVS *cum apparent seu bubonis, seu carbunculi naturam referant ignito ferro aperiendi, vt expurgetur materia, & extinguatur venenum, & ne retrocedat; nec enim vlla in his malis expectanda coctio; neq; vlla facienda repercussio. Si vero vires non sufferant incisionẽ emplastro vtimur, quod semel attrahat, & maturet, cuiusmodi est illud, quod fit ex cępa, qua excauata ʒ 1. theriacis igni ebulleat, & mortario pistetur addendo allium, & vinum, & parti applicetur: poterunt quoque prædicti abscessus scarificari, & detracto sanguine putrefacto, pastilli andronis, aut polidæ Iapa dissoluti applicari; narrauit mihi amicus Vir acri ingenio præditus, qui cum iter faceret per locum quendam Franciæ pestę infectum, illico genuum dolor eum corripuit ingentissimus, adeo, vt fere deficeret; inde factus est abscessus ad eundem locum maximus; ipsę vero vt erat animo intrepidus, & medicinę non omnino ignarus maluas, & caules, & violas coxit, & axungiam excepta contundit, ac facto emplastro alligauit. inde equum conscendens iter faciens licet febre teneretur ruptus est statim abscessus cũ tãta materiæ copia, vt vix credibile esset, & sic euasit.*

De attemperantibus, & coquentibus.

QVONIAM *exardens febris est, ideo ea antidota requirit, quę non calefaciunt; quamobrem boli armeni ʒ 1. quotidie cum aqua acetosæ danda est, vel diamargaritonis frigidi ʒ 1. cum succo granatorum; epithemata cordi ex vino maluatico addita aqua rosacea, & puluere triũ santalorum ad ʒ 5. muschi, & ambris g. 6. Aer continuo suffitu canforę aut santalorum, aloes alteretur, & spergatur pauimento acetum & aqua rosarum. Vigilia licet vtilis sit in hoc malo; quia tamen immodica vires deicit; somnus conciliandus est cum syruppo de pappauere, cuius ʒ 1. noctu assumere poterit tempora item, & pulsus populeone vnguento illineantur; somnolentia illa, qua aliqui continuo vexabantur aulsionibus frictionibus, ligaturis extremorum, aceti rosati olfactu prohibenda, scabrities linguę, sitis, & ariditas lotione oris cum oxicrato. Potus item frigidæ copiosus nonnullos seruauit ad quartam diem, & Celsus id præcipit dummodo non sint senes vel imbecilles capitis dolor oxirodino fronti syncipiti, & temporibus frequenter ad moto leuatur; syncopis frictionibus extremorum, ligaturis odoribus stomaci illinitione olei absynthij, aut spongia admoueatur ex aceto, & aqua rosacea offa panis cum vino tollitur.* Lib. tertio.

I 2 De

De conseruatione Virium.

CVM morbus hic acutissimus sit, & maxima habeat symptomata; ideo tenuissimo victu vtendũ esse ratio docet, sed quia vires lãguent in hoc malo; ideo nutriendi succo ptissanæ tantummodo cui aliquid boli armeni, & seminis citri misceantur; at si parari non poterit, vtetur iure pulli exquisite consumpti; in quo acetosa, hordeum, cicoreum, vuæ passe, & prunus sint incocta, intincto pane conserua quoque ex accido citri succo per
3. Epid. sect. 3 interualla ad cocleare vnum sit in vsu; quod si æger nulla ratione velit cõmedere, quod aliquando pertinaciter fit, vt malint potius mori; cogendi sunt, & concedendũ illis quicquid velint dummodo non magnopere non noceat; cibare.n. licet vberius in peste, quam in aliis morbis. Rasis concedit pullos, oua, lentes, vinum aqua dilutum. Celsus quoque vinum calidum, & meracius exhibet, brudus succum carnium pisces saxatiles, nam vires con firmatę morbos tollere solent oportet autem condire cibos siccantibus, vt aceto, limonis succo.

CAP. XVIII.

Synochi non putridi Casus ex Gal. lib. 9. Meth. c. 4.

18. Casus. ADOLESCENS natura carnosus, ac bonis cibis saginatus, exercitio deditus, cum exercitationem per aliquot dies deposuisset, & pri die ludo paruæ pilę valde se exercuisset, in febrem incidit, in Vere, hora noctis prima; cuius initium sine rigore fuit, calor magnus, verum tactu mitis, pulsus magnus, celer & frequens, æqualis tamen; vrina tum crassitiæ, tum colore à naturali non admodum aliena; aderat tamen totius corporis grauitas, faciei rubor; sequenti die eadem, sed auctior febris, magnus æstus, & vigilia, &c.

Dignotio.

FEBRIS prædicta synochus est sine putredine, quæ reponitur inter ephemeras, quia ad earum naturam accedit, licet longior sit; estque putrescens aucta tamen, & continua. Causa copia sanguinis, quæ ex omisso exercitio increuit, & ex paruę pilæ ludo accessus est, non sine aliqua stypatione.

De primo Scopo. An Medicus quidpiam agere debeat.

CVM febris sit acuta, continua, & magna, periculosa censeri debet, salutaris tamen, quia causa facile superabilis est, & caret malis symptomatibus;

ptomatibus; erit autem terminus eius dies septima; terminabitur autem, vel ope ipsius naturę, sudore seu hemorrargia, vel potius medici, sanguine emisso, quo prætermisso in magnum vitæ discrimen iret. Quare manus medicas casus hic desiderat si quis alius.

De secundo Scopo. Quid Medicus agere debeat, deq; commodo remediorum vsu.

VIRES, vt quæ secundum naturam sunt, sui conseruatione indicant, febris attemperantia; multitudo sanguinis euacuationem symptomata correctionem.

De vacuantibus.

SANGVIS mittendus statim est ad lib. 1. 5. & sequenti die ad libram tutius. n. est ex sententia Auerrois repetere missionem sanguinis, quam semel ad animi defectionem euacuare, quod fecit Gal. neque recte ipse in hoc casu ad quartam diem sanguinis missionem videtur distulisse, quia illo tempore facienda est euacuatio vbi viget necessitas; nisi fortasse cruditatis causa id ab eo factum est; facto igitur communi clysteri statim vt reor sanguis erat mittendus, atque id in magna quantitate, non tamen ad defectionem vsque cum tutius sit, vt ait Celsus illam partiri quam semel omni vi effusa precipitare, nam cruditates enemate ad inferna trahuntur. Ceterum post febris vigorem purgare ex raubarbaro poterimus, dando infusionis illius ℥ ij. cum ℥ iij. syruppi rosati solutiui, quia semper ex sanguinis feruore bilis gigni solet.

De attemperantibus.

CERTE cum magnus in hac febre sit calor, & corpus sit carnosum ac iuuenile, facta missione sanguinis, non tamen ante quartam diem, frigidam aquam bibendam dabimus ad satietatem; nec. n. ex tali potu solum corrigitur ardor, sed roborata natura sudores mouet, & vomitu, aut deiectione peccantem humorem educit cautus tamen Medicus in hoc remedio esse debet, quia magnum est. nec vnquam in senibus faciendum, quorum aliqui extincti sunt ea immoderatæ aquę potione, sed tutius est paulatim & sensim dare cum ardens febris sit, & nuper Hyspanus quidam Princeps, in ætate 60. annorum febre ardente laborans & siti valida efflagitauit aquam a medico in vase magno argenteo, & promisit medico vas ipsum si aquam concederet; Concessit medicus, ita fortasse requirente malo, sed hausta aqua extinctus est æger.

De

De correctione symptomatum.

CERTE symptomata hęc minime requirunt opus medici; cum ablata causa tollantur, & eisdem remediis; nam lumborum dolor & lassitudo sanguinis missione tollitur; sicuti æstus frigidę potione; vigilia vero vngendo populeone vnguento tempora, & guttur; nec non syruppo de pappauere ad ℥ 1. noctu sumpto.

De conseruatione Virium.

CVM morbus acutus sit, & inter septimam diem terminandus, pendeatq; ex copia humorum, & vires valeant; ideo tenuissimo victu vtendum est; quare succo ptissanæ vsque ad vigorem poterit sustineri. Potus aqua hordei cum oxisacchаro.

CAP. XIX.

Synochi putridi casus ex Gal. 9. meth. cap. 4.

19. Casus. ADOLESCENS seruus cum pridie tota laborasset, & lotus panca comedisset, febre corripitur nocte, quæ per totum sequentem diem durauit; calor multus non sine acredine, pulsus maximus, cęler, frequens inęqualitatis tamen particeps, vrina rubra, sed confusa, capitis dolor pulsans, & totius corporis tentio, faciei robor, & venarum tumor; sequenti die per eadem, sed deinceps sine vlla accessione decrescere videbatur; quęritur natura morbi, & eius cura.

Dignotio.

FEBRIS prædicta, vt ex signis aperte cognoscitur synocha est de genere putridarum acuta, continua. Causa est obstructio à sanguinis abundantia facta in vasis magnis præcipue circa alas, & renes, ac inguina qua obstructione impedita est transpiratio, & accęsa putredo, ac febris, est autem de genere peraumastica siue decrescens, & sicuti hæc febris cũ est sine putredine ad ephemeras reducitur; ita cum signa putredinis habet, ad biliosa referri debet, quia sanguis dum putret antequam ex eo fiat per putredinem bilis vel flaua, vel atra bilis naturam habet, eiusque symptomata infert.

De primo Scopo. An Medicus aliquid facere debeat.

HAEC febris cum acuta sit, continua, cum putredine periculo non caret, sed cum à benigno humore fiat, & decrescendo procedat, si recte tractetur intra septimam diem iudicabitur, idque potissimum ope medici sanguinem educendo.

De secundo Scopo. Quid Medicus facere debeat, deq; commodo remediorum vsu.

CERTE eadem requirit facienda, quæ præcedens; ideoque statim prima die erat iniciendus clyster, mittendusque sanguis ad lib. ij. vt simul euacuemus, & refrigeremus. Victus sit sola ptissana ad morbi vsq; vigorem; cui lactuca, aut cucurbita cocta addere poterit; Potus aqua hordei coctione apparēte frigida, haustus magnus, vt diximus in præcedenti.

CAP. XX.

Febris ephemeræ ex bile casus.

IVVENIS habitu corporis gracili, & magnis venis post validum exercitium equis depositis factum, in febrem incidit sine rigore; multus & acris calor aderat, qui tamen imposita manu vincitur, pulsus magnus, celer, frequens, & æqualis, febris perseuerauit per totam diem sequentē sine vlla intentione, aut remissione, vrinæ fere naturales, aderat tamen sitis, & vigilia, quæritur natura morbi, & eius curatio. 20. Casus.

Dignotio.

FEBRIS prædicta biliosa est, continua inter ephemeras nothas collocanda, seu potius synochus quidam ex bile pendens. Causa bilis est agitata potius quam putrefacta, occasio fuit immoderatum exercitium, visuntur autem, vt recte ait Fernelius non raro febres tum continuæ, tum intermittentes, quas neque ad ephemeras absolutè, neque ad putridas recte referre possis, quales plerunque fieri solent ex destillatione scabieue, cruditate, bilis, aut sanguinis ardore, & quædam ad quartam extenduntur, aliæ quotidie non totum semel, sed etiam bis accedunt; in quibus æger vix se febricitare sentit, pulsus tamen celeritate, & frequentia, lassitudine, corporis grauitate, vigilia interdum, & grauioribus symptomatibus conspicue.

De

De primo Scopo. Quid Medicus agere debeat.

QVAMVIS febris continua sit, cum tamen sit de natura ephemeræ, ac facilis, salutaris censeri debet, eaque vel solius ope naturę intra septimam desituram; medici tamen manus desiderat ne errore aliquo in putridam transitum faciat.

De secundo scopo, quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

VIRES, vt quæ secundum naturam sunt, sui indicant conseruationem, febris & eius causa attemperantia desiderant, & si febris progrediatur euacuantia; symptomata, si quæ sunt lenienda.

De conseruatione Virium, & reliquis.

VICTVS, cum quo perdurare poterit ad solutionem febris, erit ptissana, cum offa panis iure gallinaceo intrita bis in die noctu etiam lactuca, aut cucurbita cocta; Aqua in potu cocta ex hordeo, addito iulapio, & limonis succo, qua victus ratione etiam attemperabitur calor; in quam intentionem renes vnguento rosaceo aceto dissoluto vngantur, & frons ac tempora ex populeone. Ad somnum cordi, & hepati epitemata, ex succo acetosæ, vel oxicrato, balneum item accommodatissimum est in tepida aqua dulci.

De vacuantibus.

SI his non cedat morbus tunc ad bilem euacuandam accedendum est, quę ex symptomatis abundare dignoscitur, ex ℥ 5. cassiæ, & tantundem ex puluere tamarindorum vel ℥ 1. diaprunis non solutiui, aut ℥ iij. syruppi rosati solutiui.

CAP. XXI.

Ephemerę ex cutis adstrictione casus deducitur ex Gal. octauo meth. secundo.

21. Casus. IVVENIS habitu corporis gracili colore nigello hirsutus diebus canicularibus lauandi æstus gratia in aquis alumnosis à quibus sudauit, hinc ad vmbram gressus febricitare cepit, calor mitis non excrescens, cutis densitas manifeste sentiebatur pulsus celer, frequens, æqualis, vrinæ fere naturales, quæritur morbi natura, & eius cura.

Dignotio.

Dignotio.

PRAEDICTA *febris ephimera est ex styratione meatuum cutis nata propter aquas adstringentes, quibus se lauit; quamobrem retento calido è fluuio neque frigido intus attracto (semper enim corpora nostra transpirant intus & extra) accensa est febris presertim in corpore adeo calido; nam his naturis (dicebat Gal.) frigidę lotio non conducit; nec abstinentia balnei cum acri fuligine abundent, quæ facile accenditur.*

De primo Scopo. An Medicus aliquid facere debeat.

FEBRIS *hæc toto genere salutaris est, & intra quatuor dies terminabitur dummodo, vel ægri, vel medici errore in putridam, aut hecticam non transeat, quare medici manus postulat periti, ne cibandi abstinentia (quod Diatriariis accidit) perdatur æger.*

De secundo Scopo, quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

VIRES *sui conseruationem postulant, febris ea, quæ attemperant, & refrigerant, cutis astrictio, quæ relaxant.*

Qua ratione prædicti scopi effici debeant.

ALIMENTVM *sit ptissana, & si presto non adsit, lotus panis lactuca, aut cucurbita cocta. Potus aqua citissime autem cibari debent ob biliosam naturam, & quotidie bis; qua ratione non solum nutriemus, sed attemperabimus; balneo quoque, & attemperabimus, & cutem maxime laxabimus, sit tepida in tina si domi non sit paratum, quod si Gal. loco citato Iuuene frigida lotione post calidam vsus; id factum est, quia hecticam timebat; nam & corporis dispositio, & quæ precesserant, & morbus facile in eam dispositionem ibant. igitur à balneo, oleo camemelino totum corpus vngatur poterit & vti abstergentibus in balneo, qualis est ptissana aut fabacea farina, quæ innocente id faciunt.*

CAP. XXII.

Ephemerę ex obstructione casus ex Gal. 8. meth. 4.

VIR *annorum xxxx. habitu crassus, & carnosus, colore albo, crapulę assuetus, & otio cum æstatis tempore in flumine lauaretur hora* 22. Casus.

noctis prima in febrem incidit sine rigore calor multus, sed non mordax pulsus magnus, celer & frequens cum aliqua inæqualitate; vrina non multum à naturali varia, crudior tamen febris extensa est ad sequentem noctem cum capitis grauitate, & tussim neque tamen intermisit quæritur morbi natura, & curatio.

Dignotio.

F*EBRIS allegata ephemera est non solum ex meatuum cutis stipatione nata ex lotione, sed etiam ex obstructione vasorum a crassis humoribus, & potissimum circa venas mesenterij, & cum vltra horas xxiiij. durauerit, neque intermiserit, & adsit capitis dolor, & grauitas non tam exquisita, sed nota dicenda est, quæque in putridam sit abitura, nisi cito vt decet occurratur, ideoque manus medicas desiderat, & perinde si recte tractata fuerit dissoluetur inter quaternarium.*

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

V*IRES, vt quæ secundum naturam sunt, sui conseruationem postulant inter ea, quæ præter naturam sunt, febris attemperantia, humor obstruens, quæ euacuent & attenuent.*

De vacuantibus.

I*N curanda obstructione primum locum obtinet euacuatio humoris obstruentis, sed quia crassus est, & lentus attenuationem postulat; hæc autem fieri non possunt nisi totum corpus transpirabile fiat. igitur secunda die facto mane communi enemate; sanguis ex basilica brachij dextri ad ℥ vij. mittatur; mox attenuandus humor dato oximelite simplici ad ℥ 1.5. cum decocto passularum, adianti, cicoreæ, & radicum appij ad ℥ iiij, nec verendum quod bilescat oximel cum æger, qui proponitur habitu sit pituitoso; quando vero bilesceret oxisaccharo toco oximelitis vtendum, constat autem oximel mediocre ex duabus partibus mellis, vna aceti, & quatuor aquæ; attenuato humore purgandum erit ex diafiniconis ℥ 5. cum decocto florum, & fructuum. Cutis quoque rarefieri poterit vnctione olei camemelini calidi.*

De conseruatione Virium.

C*VM ex multitudine nascatur febris, & cito terminabilis sit, ideo tenui victu vtendum, qui obstergendi vim habeat, qualis est ptissana*

in

in cibo, in potu vero mulsa vel aqua hordeacea cum sacchoro sit vero sacchari ad aquam vel mellis pars octaua.

CAP. XXIII.

Ephemeræ ex ebrietate casus, ex Galeno octauo meth. cap. 7.

NVPER *ex plebe quidam cum in splendida cęna sibi epulis potuq; indulsisset; domum venit errabundus & manu ductus; cumque tota nocte ex plurima sequentis diei parte perdormisset resurgens, circa primã noctis horam febre corripitur, cum capitis dolore ad frontem, rubor totius faciei, ructus accidus, & nausea, cęterum nec in pulsu, neque in calore, neque in vrina vllum aderat putredinis signum.* 24. Casus.

Dignotio, & prognosticum.

FEBRIS *ephemera est, occasio fuit crapula, & ebrietas remanente vino adhuc in stomaco; erit autem salutaris & soluta crapula intra tres dies terminabitur, nisi error committatur, ob quam causam Medici manus desiderat.*

Quid agendum, deque commodo remediorum vsu.

CRAPVLA *discutienda, caput roborandum, & denique si quid remanet discutiendum, procuretur egro vomitus ex aqua tepida cum melle, & si difficile vomet, penna immissa in fauces vomet; enacuato foueat cum vnctione olei melini addito mastiche, aloe, croco ad caput roborandum & ipsam frontem oxirodinum admoueatur, hinc brasicę folia alligentur temporibus, & ad discutiendum postea vtatur embroca, seu lotione calidæ. Cęterum alimentum sit ptissana, aut offa panis in iure pulli, vinum quibusdam datur, sed id non fiet nisi discussa crapula, quibusdam.n. vinum accessit in stomaco, & aquæ frigidæ potu curati, cum fuerint, occasionem habuit Trallianus impugnandi Galenum. Qui omnem accidam cruditatem ex frigiditate fieri dixit, cum in hoc casu à calore fieri soleat, sed licet instantia ad curationem sit vtilis, potest & in hoc casu defendi Gal. quia vinum licet calidum sit respectu aquę, quia tamen forte est non poterat superari à calore ventriculi; ideo cum talis calor minor sit, quam pro vino conficiendo sufficiat, dicetur à frigiditate fieri, aqua vero facilius superatur, neque accescit.*

CAP. XXIIII.

Ephemeræ ex cruditate nidrosa casus ex Gal. 8. meth. cap. 5.

24. Casus. ADOLESCENS calidi hepatis, & ventriculi, cum in conuiuio placentis dulciariisque multis, fructibus, & vino se saginasset, in æstate hora diei decima febri corripitur sine rigore, calor non multus, suauis tamen, pulsus frequens inæqualis capitis grauitas, & totius ventris distentio hora noctis quarta vomuit partem cibi, à vomitu ructus nidorosi, subputridi, in sequenti die febris perseuerauit cum fluxu alui bilioso, & inappetentia, vrinæ fere naturales, sed crudiores, quęritur natura morbi, & cura.

Dignotio.

FEBRIS ephemera est ex satietate facta, & cruditate illa, quam nidrosam appellant Medici, occasio fuit ciborum calidorum, & fructuũ multitudo, quare facta putrefactione in ventriculo, nausea vomitus, capitis dolor, ructus, & per consequens febris accensa est.

De primo scopo. An Medicus aliquid facere debeat.

FEBRIS cum sit de natura ephemeræ salutaris censenda est, & intra quatuor dies terminanda, si vt decet Medicum æger nactus sit diligentia prєditum. Nam cum ephemera sit plurium dierum, & causa permaneat ni recte tractetur in putridam transiet, quare ad medicum veniendum est.

De secundo Scopo. Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

VIRES sui conseruationem indicant, febris parum vrget; humor in ventriculo vacuandus, & coquendus, symptomata corrigenda.

Quomodo prædicta recte fieri debeant.

NEC vomitus, nec alui fluxus reprimendus est, cum per ea ventriculus exonerari soleat; quare dicebat Gal. cruditatem cum fluore minus malum, quam cum adstrictione, & Celsus alui fluorem vna die sępe
8. Meth. pro valetudine esse, sed si diu flueret aluus, tunc corrigenda fluxio; in primis

mis somno, qui non modo supprimit aluum, sed inter cętera coctionē iuuat. Ideoque Hypp. in satietatibus dormiendum esse monet æstate sine calore, Hyeme sine frigore. Hic roborabit stomacum Gal. quod recipit olei nardini ℥ I. pulueris aloes mastiche an. ʒ. I. cerę parum fiat vnguentum, quo calido bis in die ante cibum per horam vngatur stomacus, quod tamen non laudat Alexander, quia neque affectioni, vtpote calidę, neque temperamento calido conueniat nardinum oleum, quare hoc ceratum potius conuenire, ait, accidę cruditati, quam nidrosę sicuti diatrienpiperon; proindę frigida tum extra tum intus adhibenda censet. Sed Gal. se corrigit paulo post scribens, quod si inflammatio aliqua fuerit, tunc ceratum melinum conuenit aut mastichinum cum hypocistide, aut enemate, quod sic formari poterit, & erit accommodatus. ℞ olei melini, mastichini an. ʒ 6. aloes, mastiches, in puluerem an. ʒ I. oriphacij parum; cerę quantum est satis fiat ceratum pro vngendo stomaco, cibus sint pisces saxatiles, aut ptissana. Potus aqua in qua cidonia, vel mirti baccę sint incoctę, sed si aluus in ægro nostro esset adstricta; tunc humor educendus vomitu si adhuc heret ventriculo si intestinis enemate Trallianus in vtroque affectu, vt præstantissimum omnium remedium laudat aquam calidam, siue exacte tepidam assumptam, quæ & attemperat, & euacuat, solet etiam morsum, & dolorem mitigare; enemate quoque communi intestina essent detergenda, quod si flatus adsint, incoquere oportet anethum, feniculum, cuminum addendo oleum rutaceum; hac ratione symptomata corrigentur, & curabitur capitis dolor, cui etiam rosinum vnguentum inunctum repellet vapores, ad appetentiam dabimus succum cotoneorum cum saccharo, & acetaria, ac condimēta in alimento, quod valde tenue sit, quia ex satietate febris oritur. 3. Acutorum 8. Meth. 8. Meth. 5.

CAP. XXV.

Ephemerę ex lassitudine casus.

IVVENIS boni habitus plusquam sollicitus esset cum laborasset & iter tota die fecisset lassitudinem persentit præcipue ad articulos; hinc noctu febris corripuit eum sine rigore, calor mitis, pulsus cęler & frequens, vrina naturali similis, durauit febris tota nocte, sed ad meridiem sequentis diei declinabat cum sudore, quæritur natura morbi, & cura. 25. Casus.

Dignotio, & prognosticum.

FEBRIS prędicta ephemera est exquisita ex labore nata. Nam articuli nimis calefacti calorem ad cor transmittunt, vnde febris orta est; neque non colliquatio, quæ per carnes fit ait Hypp. in membris non as-

suetis,

suetis, & cum febris sit benigna, & iam manifeste inclinet, inter horas xxiiij. terminabitur, nisi error committatur, hoc.n.adnotauit Gal. contra
Lib.4.Aph.55 eos, qui inedia trium dierum vtebantur in omni febri, cum in ephemera, statim cibatum hominem ad exercitia consueta mittere liceat vnde vere constat tantum errare nos in curatione, quantum in cognitione. Nam si quis ignorata febris natura sanguinem mittat, aut aliud remedium magnũ adhibeat valde errabit, ideo Gal. gloriatur se primum harũ febriũ cognitionem assequutũ; quãuis Hypp. ephemeræ nomen adinuenerit; cũ in aphorismis dicat omnes febres ex bubone malas præter ephemeram; neque Celsus earum cognitionem non omisit, qui tamen Gal. antiquior fuit ipse enim
Lib.3.cap.5. lib.3.cap.5. inter ephemeram, & putridam differentiam ponens in hunc
» modum scripsit. Igitur si febris semel tantum accessit, deinde desiit, eaque
» vel ex inguine, vel ex lassitudine, vel ex æstu aliaue re simili fuit; sic vt
» interior nulla causa morbum fecerit postremo die cum tempus accessionis
» ita transit, vt nil mouerit, cibus dari poterit; at si ex alto calor venit, &
» grauitas vel capitis, vel præcordiorum sequuta est, neque appareat quid
» corpus cum fuderit; quamuis vnam accessionem sequuta integritas est, ta-
» men quia tertiana timeri potest expectandus est dies tertius, & vbi tem-
» pus accessionis preteriit, cibus dandus est, sed exiguus quia quartana ti-
» meri potest Galeno tamen, vt qui hanc rem egregie tradidit laus non me-
» diocris debetur.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

CVM exiccati sint calefacti articuli humectari debent, & attemperari, inter cætera balneum aquę dulcis egregiam vim habet hoc faciendi. Nam, & attemperat, & lassitudinem leuat & humectat, & sudores mouet, inde vngendum corpus, & Gal. oleo tepido vtitur, sed Trallianus ex hydreleo, hoc est aqua & oleo potius vngendum docet, quia simul & humectabit, & refrigerabit, à balneo reficiendus post horam; eligere autem tempus balnei in declinatione febris commodum est, seu potius iam in totum abolita. Cibus sit ptissana, & panis in iure pulli, lactuca aut cucurbita cocta, pisces quoque saxatiles. Potus aqua seu vinum album tenue limphatum, quies procuranda; Iusta illud Hypp quoquo modo corpus laborare cępit, quies statim lassitudinem leuat, lenes etiam ambulationes id faciunt, reliquias colliquantium dissipantes.

CAP.

CAP. XXVI.

Ephemerę ex Catarro casus ex Galeno primo de differentis febrium, cap. vltimo.

ADOLESCENS hyeme flante borea tota nocte per Vrbem ambulauit; sequenti die hora diei octaua rigore correptus est valido cum capitis dolore tussi sicca; nares humiles fauces, & oculi subtumidi successit febris, quę neque calore, neque pulsu, neque vrina vllam putredinis notam habebat. quæritur natura morbi, & eius curatio. 26. Casus.

Dignotio.

FEBRIS ephemera est ex frigore, & vigilia enata, nec refert si à rigore inuadat, quia constipata cute, acres detenti vapores feriunt partes neruosas, & rigorem faciunt, vnde dicebat Gal. febrium putridarum proprium esse cum rigore, aut horrore incipere, dummodo non præcesserit frigiditas, aut ęstus, qui eum efficere possent ab extra. igitur adstricti meatus cutis, capitis repletio facta est, vnde tussis & febris. Libro de differ. febrium.

De primo Scopo. An. s. Medicus aliquid facere debeat.

SANE febris prædicta salutaris censeri debet, neque diem quartam transcendet si vt oportet tractetur; solent. n. Tussiculosę febres & quę cum catarro fiunt (ait Hypp.) leniter quinta die detinere, & grauedines, & raucedines citius terminantur cum febre quam sine ea, quia à calore febrili adiuuatur coctio; desideret tamen medici cura, quia si error committatur, possunt in acutas transire febres, & pulmonias, aut pleuritides. 7. Epid. 32.

De secundo Scopo, quid faciendum, & de commodo remediorum vsu.

CVM hæc febris de se salutaris sit, nullo alio indiget medici auxilio, & instrumento, quam vt commoda ratione victus procuretur humoris coctio. Expectata igitur febris declinatione panem in aqua coctum cum sacchoro ei detur. Potus vero sit gliecresere, aut adianti decoctum cum pauco sacchoro postea veniat ad oua recentia vinum album sapam quoque bibat per interualla ad educenda quæ in pectore continentur proinde melle vtatur.

CAP.

CAP. XXXVII.

De febribus cum accidentibus, ac primum febris assodes casus ex Hypp. 4. acutorum.

27. Casus. *PETRVS Bailus boni habitus ætate annorum xxxx. constitutus, in Autumno febre corripitur cum magno internarum partium ardore, sed extremorum frigore; hypocondria tenxa anxietudo, vt vno loco quęsiere non possit; vigilia, & sitis. Quęritur natura morbi, & eius curatio.*

Dignotio.

QVAE proponitur febris acuta est continua, maligna, assodes dicta, seu fastidiosa in genere lyppirię. Causa vel viscerum inflammatio censenda, vel obstructio insignis circa naturalia membra ex crassis, ac biliosis humoribus, qua ratione pressus ventriculus inquietudo nascitur; Frigent vero extremæ perpetuo, quia calor vel intus trahitur ob inflammationem sicuti cucurbitula, vel retinetur ne diffundatur ab humorum copia quasi suffocatus. dicebat. n. Gal. quod vbi extrema frigent in febre perpetuo necesse est, vt vel inflammatio in visceribus adsit, aut crassorum humorum copia, aut virium imbecillitas, aut ingens dolor, aut syncopis, quorum tamen hic neque dolor, neque imbecillitas cum à principio fiat adsunt, neque syncopis; quare vel ad inflammationem, vel obstructionē referri debet in casu nostro; at ex hypocondrij tensione euidens est magis inflãmatio.

7. Aph.

De primo Scopo. Quid Medicus facere debeat in hac febre.

QVOD febris acuta sit valde maligna, & viscera satis affecta cum pessimis symptomatibus, inquietudine, & extremorum frigore; ideo toto genere letalis censeri debet; dicebat. n. Hypp. in prognostico pessimum esse si per totum pręcordium tumor fuerit, & tensio; non tamen ita disperandum, quia sperari possit salus, pręsertim quod æger viribus sit robustus, quorum robur vnica in pessimis malis salus est. Cęterum Hypp. ex vrinis potissimum febris euentum coniectandum esse nos monet; terminabitur autem intra septimam diem quod valde acuta sit, & si fuerit in bonum sanguine per nares, qua ratione inflammata hypocondria iudicari solent, aut alui fluxu, aut sudore. igitur facto coram Astantibus de periculo prognostico manus admoueat Medicus.

4. Acutorum.

De

De secundo scopo. Quid Medicus facere debeat, deq; commodo remediorum vsu.

VIRES, vt quæ secundum naturam sunt, sui conseruationem postulant. Febris ea, quæ attemperant; humorum fluxus, & copia, quæ euacuant, & repellant, cruditas, & malignitas coctionem; inter symptomata inquietudo extremorum frigiditas, & sitis correctionem desiderant de quibus sigillatim dicendum.

De vacuantibus.

STATIM secunda die leni clysteri aluus educenda, ita enim præcepit Hypp. recipiat, aut clyster aquæ lib. 1. mellis ℥ 1. olei communi ℥ iij. salis ʒ ij. fiat clysteri, vel potius vti poterit cum melle cocto cum hyera pigra ℈ ij. aluo ita lenita sãguis mittendus est ex vena interna brachij destri ad ℥ ix. sic. n. monet Hypp. faciendum in inflammationibus, seu doloribus, 4. Acut. 36.
aut grauitatibus viscerum; in quibus venę sectio principalis est; ita. n. fiet & euacuatio, & reuulsio; purgatio nulla à principio, sed apparente coctione; quo tempore ex ʒ ij. electi raubarbari, & ℥ iij. syruppi rosati solutiui purgari poterit, quo tempore vrina mouenda, & sudores ex decocto appij, feniculi, aut petroselli.

De coctione prouocanda, ac anxietudine tollenda.

EADEM remedia vires confirmant, & coctionem adiuuant, & anxietudinem tollunt; quare decumbat ęger in lecto molli pro consuetudine, stragulis cooperiatur, & in vno loco decubitum tolleret quam maxime poterit; quia motus vires deicit & prosternit, ex præcepto Hypp. & quia lumen debilitat vires, ideo iaceat in domo obscura. Cęterum tertio 4. Acut. 36.
quoq; die clyster prędictus adhibeatur hypocõdriis verò circumtensis Hyp. cataplasma adhibet ex semine lini in qua & oleo cocto exacte tepido ne si frigidum fuerit calorem intus pellat, si calidum augeat febrem. Sed si dicas Gal. reprehendit antiquos quod cataplasmatis vterentur, per quæ succi ad partem trahuntur: dico id fieri antequam corpus fuerit euacuatum, sed euacuato corpore adhiberi possunt, præcipue si habeant aliquid adstringentium, verum dices hoc cataplasma esse pure resolutiuum; dic ad coquendi adhibitum, & resoluendum; nos vero addere poterimus aliquid adstringentium, vt crocum, & puluerem absynthij. 11. Meth. vlt.

De corrigenda extremorum frigiditate, & siti.

CERTE frigiditas extremorum non solum mala est, vt signum, sed vt causa affligit.n.valde, & calor intus continetur maior, cum non extendatur, quare pedes ceratis ex oleo anethino, & absynthino bene calidis vngere oportet, pannis calidis obuoluere, & pellibus manus quoque agninis vestiantur, & lateribus calidis admoueantur; ligaturis quoque, & frictionibus trahendus calor ad extrema spina oleo absynthino inungatur calido; sitis quæ ex ardore prouenit fallenda tum lotionibus, ex aqua hordei, tum accidis cerasiis, & granatæ granis ore contentis.

De conseruatione Virium.

CVM acutus valde sit morbus, & ex inflammatione, siue valida obstructione nascatur tenuissimo victu vtendum; quare Hypp. recte in oximellis potu vsque ad iudicationem ægrum continet. Cum enim pedes frigidi sunt nil Hypp. exhibendum scribit, nisi vrgenti causa ablata inquietudine, & coctione aliqua apparente ad ptissanam transeundum oximel autem sit aquosum, aquosum verò dicitur, quod ℞ aceti partem vnam, mellis duas aque VI. vel VIII. nec certe tacere possunt quam segnes sint medici in instruendo victu morborum acutorum & assiduis potionibus, ac cibis repleant adiciendo pullos pistos, stillatitia iura cum pane, quasi at letam ad palestram arma curi nullum ęgrum in summa inedia continent, nullum in solo potu, ac nequidem in sola ptissana, quare non mirum est si hac ratione moriantur multi, præcipue cum febres, aut ex inflammatione, aut obstructione, & putredine pendent.

CAP. XXVIII.

Febris singultosę casus ex Hypp. casus 4. acutorum, num. 51.

STATVARIVS annorum xxxx. crapulæ, & veneri deditus habitu corporis crasso cum laute pranderet hora diei decima in febrem incidit cum horrore; aucta febris est ad horam sextam, quo tempore vomuit pituitosa multa cruda, a vomitu singultus eum apprehendit, qui perseuerabat cum febre ad sequentem diem; sitis aderat, ructus, dolor ventriculi, febris manebat valida. Quæritur natura morbi, & curatio.

Dignotio.

Dignotio.

QVANTVM ex allatis signis colligi potest febris est acuta, continua maligna. Causa pituita multa est ventricula tunicas imbibita, & in toto corpore abundans, quę sua praua qualitate, & salsedine irritat ad expulsionem ventriculum, ac proinde ex replectione maligni humoris singultus nascitur.

De primo Scopo. An Medicus quidpiam agere debeat.

CVM febris sit continua, acuta, circa ventriculum in frequenti singultu, vires debilitans; nec febris humoris dissoluere potuerit, valde dubitare contingit de vita; nec .n. vt scripsit Hypp. hi euadere possunt, nisi succedant iudicatorij sudores, & somni succedant placidi, aut per vrinas mordaces, & crassas, vel per abscessum: verum si hæc non fiant, Medicus immutando naturam facere debet, quare Medici opus desideratur; facta tamen de vitæ periculo pronuntiatione. 4. Acutorum.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

VIRES, quæ secundum naturam sunt, sui conseruationem postulant; febris quæ attemperant. Causa, quę est pituita, crassa, & lenta abstertionem, attenuationem, coctionem, & expurgationem singultus, & imbecillitas stomaci corrigenda sunt.

De attenuantibus, coquentibus, & purgantibus.

CVM morbus magnus sit, & vires valeant statim sanguis mittendus non tamen in multa copia ob cruditates ad ℥ vij. ex basilica brachij destri; inde vero clysteri vtatur communi addendo ℥ ſ. hierę logadij, aut diafiniconis; mox danda illa, quę detergendi, & attenuandi vim habent cuiusmodi Hypp. erit hoc ℞ seminis dauci, comini tusorum an. ℥. ſ. oximelitis simpl. ℥ ij. decocti appij, anethi, petrosellini ℥ iiij. assumat bis in die calida hora mattutina, & vespertina tribus horis ante cenam; licet autem hęc calida iudicentur, & febri repugnantia; habenda tamen causæ maior est ratio, & singultus; vomitus inde moueri poterit ex multa in qua raphani semen & hysopus, ac thimus bullierint; hinc purgandus apparente aliqua coctione ex hiera cum agarico ad ℥. ſ. mox imitando naturam sudores mouebimus, & vrinas, cum per hæc iudicari soleat febris, quale hoc erit ex

3. de morbis 39. *officina Hypp. ℞ appij m. iij. pulegij m. ij. in lib. 6. aceti albi quoquito ad tertia, hoc melle, & aqua dilutum aquosum calidum bibat per interualla. Somnus quoque procurandus cum vim magnam habeat coquendi, & singultum discutiendi. Cęterum si per euacuationem non possit educi humor ad abscessum tentet medicus deducere calefaciendo, & fricando inguina, ac crura, vt eo morbus vergat.*

De corrigendis accidentibus.

VENTRICVLVS *roboretur infrascripto lenimento. ℞ oleum in quo menta absynthiumq; sint incocta, & bis in die calido foueto ventriculum, & duodecimam spinæ vertebram. Cęterum ad singultum facient quæ diximus attenuantia, vt si theriacæ, aut diaspoliticon exhibeamus; si extrema fricentur, & ligantur, si sternutationes per interualla* Aphor. *moueantur. Iuxta illud singultu laborante sternutatio superueniēs liberat.*

De conseruatione Virium.

CVM *morbus sit valde acutus, & cum obstructione, & circa stomacum ideo tenuissimo victu vtendum; rectè ideo Hypp. solo succo ptisanæ ad iudicationem vsque vtitur, cui tamen in coquere licebit, & porrũ, & anethũ. Potus vero sit aqua hordei; sit tamen hordeũ prius in aceto maceratũ qua ratione melius sitim sedabit, & adiciemus aliquid sacchari.*

CAP. XXIX.

Syncopalis febris humorosę casus ex lib. 12. meth. cap. 3. Quam febrem Hypp. appellat inflatam, & liuidam 6. epid.

VIR *annorum xxxxx. hirsutus calidi temperamenti edax tamen & bibax cibis crassis assuetus, ventosus, media hyeme cum laute in prandio comedisset syncopi, siue animi defectione corripitur cum dolore ventriculi; ad noctem febris apprehendit, & multa euomuit; facies tumida plumbea cum pauco rubore, hypocondria inflata nausea, & morsus ventris pulsus paruus, & inęqualis vrina crassa, cruda, per interualla deficiebat viribus. Quæritur natura morbi, & illius curatio.*

Dignotio.

FEBRIS *acuta est, & mali moris ex his, quas Hypp. inflatas, & liuidas appellat. Causa magna crudorum humorum copia in toto corpore, & potissimum circa ventriculum, quæ sua frigiditate, & copia os eius*

opprimens

opprimens syncopes inducit; occasionem dedit voracitas, & crassorum ciborum æsus multus.

De primo Medici Scopo. Num quidpiam agendum sit.

CVM febris sit acuta maligna ex multa humorum copia circa ventriculum enata, & quod pessimum est syncopem inferat toto genere letalis censenda est; Nam qui multum sæpe, & vehementer animo linquuntur repente mori scripsit Hypp. sed quia æger natura robustus est; nec defectiones ita frequentes, & validæ sint in casu nostro; ideo non est prorsus desperandum de salute terminabitur autem inter diem septimam; nec transcendet xiiij. idque vel aliqua à natura facta euacuatione, vel paulatim, si illum terminum transeat per coctionem. Magni quoque erit momenti opera Medici naturam ipsam adiuuans, quamobrem facto prognostico de euidenti periculo auxiliari oportebit, & si aliqua febris est, quę medici prudentiam, & diligentiam requirat hæc vna esse videtur.

Quid Medicus facere debeat, deque commodo remediorum vsu.

VIRES conseruationem si vnquam alias in hoc morbo postulant indicatio à febre parum vrgens est; validaq; ex causa sumitur, quæ cum humor sit crassus coctionem, attenuationem, & vacuationem postulat. Syncopis reuocationem; stomaci imbecillitas ea quæ roborant de quibus sigillatim dicendum.

De vacuantibus, & roborantibus.

QVANVIS morbi magnitudo, & humorum copia euacuationem postulent; ex altera parte, & virium infirmitas, & humorum cruditas impediant; quare Gal. nullam neque pharmacia, neque phlebotomia molitur euacuationem, sed perpetua artuum frictione vtitur, in domo 12. Metho. *temperata linteis mediocriter asperis, primum inde ex oleo inungit camemelino; fricat.n. primo crura, mox brachia inde spinam, & rursus circuitu facto redit ad crura; nec abstineat a frictione nisi cum dormit æger debet autem somnus esse mediocris, cum vigilare potius conducat ne calor in internis moretur; statimque oleo in quo absynthium, & menta sint incocta bene calido stomacum fouere oportet. Nam vbi ventriculus debilis est valde, vt in casu nostro prius debemus roborare quam euacuare (ait Gal.)* 2. ad Glauc. *quare neglecta, qui prius euacuare voluerunt hominem necarunt; sed dices quare Gal. perpetuo fricat ęgrum plenum humoribus cum frictio, &*

cætera

cętera remedia localia ante euacuationem potius augeant obstructiones? dic curationem hanc non regulatam esse, sed coactam, & ratione vrgentiæ factam; cum.n.euacuationem sensibilem non tollerent, frictione sunt vacuandi, & humores à partibus internis ad externas traducantur, addtur inedia maxime quæ adiuuat vacuationem. Trallianus tamen paulatim vacuandus monet; vbi vires paulo sunt robustiores, & sanè in nostro ægroto posset mitti sanguis ad ℥ iiij. quia apparet rubor in facie secus si non appareret glandibus quoque aluus lenienda; ita.n iubet Hypp. faciendum vbi vires non constant, sed iam progrediente malo; si vrinæ meliores apparent oximel in quo absynthij coma maduerit optimum erit medicamentum, & hiera cum agarico ʒ 1.5. in formam pillularum.

De conseruatione Virium.

CVM febris sit valde acuta, & ex multitudine humorum crudorum enata; quibus qui abundant facillime inediam tollerant; ideo Galen. solo potu melicrati vtitur, aut oximelitis vsque ad septimam diem; incoquit autem hysopum, pulegium, & calamentum ad detertionem, & humorum attenuationem in quam sententiam Hyppoc. iuit qui in febre hyberna cum animi deliquio non dat ad iudicationem vsq; præterquam acetum mulsum, & si Galenus videat aluum fluere, tunc auget victum, & ptissanam exhibet, & si pulsus imminuantur panem intrito vino dilutum quod concessit Alexander impugnans Galenum, quasi hominem necaret inedia, & frictione continua. Nam aliqui fortasse erunt, qui non poterant ferre in quibus prudentia medici augere nutrimentum debet.

4.Acutorum

12.Metho.

Lib. 12.

De occurrendo syncopi, & reliquis.

CVM syncopis corripit statim ad vinum concurrendum merum, & austerum, quod citissimam deductionem per corpus habet; deturque panis eo intritus. Vnde Hypp. si cor doleat panem in vino mero dare pręcipit, sed dices Gal. primo ad Glauconem in syncopi ab inflammatione nil dandum esse scribit sed fricanda extrema & liganda. sic in hac cum ex humorum multitudine procedat nil dabimus, sed damus vrgentiæ causa, & quia frigiditas adest humor, quę attemperatur nares aceto, & aqua rosacea, necnon pulsus fricandi, & stomaco spongia imbibita vino, & aqua rosacea calida apponenda; pedes calefaciendi, & manus, at si inappetentia laborat non magnopere curãdum eam excitare præsertim à principio cum conducat inedia quam maxime; sed in progressu obseruandum, vt ex duobus cibis gratior detur etiam si aliquanto sit peior, & condiantur alimenta limonis succo, cappares etiam in aceto cum oleo appetitum excitant.

2.Epid.5.

CAP.

CAP. XXX.

Febris ſyncopalis caſus ex ſiccitate natæ deducitur ex Gal.10. meth. cap.3.

IVVENIS habitu gracilis, & muſculoſus vt canis calidæ, & ſiccę naturæ; cum ex malo nuncio triſtaretur, & valido motu grandeque exercitio in æſtate vſus fuiſſet; hora diei vndecima febre corripitur cum rigore, ſeu inæqualitate rigenti, tota nocte vigilauit declinauit febris ad auroram ſecundi diei. cum vero ſua, & medicorum inſcitia vſque ad tertiam diem inedia vteretur; facies illi tales conſpiciebatur, qualis deſcribitur in prognoſtico extenuata ſic vt mortuo ſimilis videretur. Cęterum tertio die alica cibatus rediit febris cum extremorum perfrigeratione, pulſu exiguo, vt vix recaleſcere potuerit quæritur natura morbi, & curatio.

Dignotio.

PRAEDICTA febris de natura tertianæ exquiſitæ procul dubio erat niſi inedia acceſſiſſet, quę exacerbauit morbum & bilem exacuit. Quare ſiccitatę aucta mordens ventriculum ſyncopim faciebat, accedente corporis diſſolutione, & virium imbecillitate ex corporis raritate & humorum tenuitate.

De primo Scopo. An Medicus quidpiam facere debeat.

CVM morbus ſua natura lętalis non ſit, ſed errore exacerbatus ſit, ſi recte tractetur facile conſequetur ſanitatem; pendet.n.ex fame, & cauſa extrinſeca; recte autem monebat Celſus conſiderandum à Medico cum accedit an æger recte tractatus fuerit an perperam. Nam ſi quis (ait illę) temere habitus adhuc viribus valet, admota cura, momēto reſtituitur. Lib. tertio.

De ſecundo Scopo. Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vſu.

VIRES, vt quę ſecundum naturam ſunt, & in hoc malo difficiunt ſui conſeruationem in primis poſtulant, morbus, & cauſa ea, quæ refrigerando, & humectando attemperant virium defectus probibendi, & cum deficit reuocandus æger.

Quomodo

Quomodo prædicta fieri debeant.

EQVIDEM cum mali causa ex siccitate pendeat atque inedia succurrendum est per alimentum facilis coctionis quodque humectandi vim habeat, & bilem obtundendi iure autem merito accusabat Hyppoc.
2. Acut. 22. Antiquos Medicos, quippequi debilitates in morbis distinguere nesciebant & quę ob vasorum euacuationem fiunt aut ob vim morbi, cum illi statim nutriendi sint; hij vero nequaquam. Cum ergo noster æger ex vasorum euacuationem in syncopim delapsus sit commodo nutrimento ad iuuandus, & bis in die nutriendus: erat igitur nutriendus secunda die statim per ptissanam & frigidæ potum rursus tertia die recte adhibita est alica ante accessionem (fiebat. n. alica antiquitus ex zea quam speltam vocamus) qua nisi nutritus fuisset in magnam sanè syncopim incidisset; quia vt recte mo-
2. ad Glau. 14. net Gal. qui ex siccitate in syncopim sunt incursuri optimum est preuidere; Nam si duabus, aut tribus ante exhibitionem cibi manus ac pedes constringi iusseris non interibunt quod si syncopis iam hominem inuadit, vt contingit huic in secunda accessione statim fricanda liganda calefacienda extrema. Ventriculus fricandus oleo melino, aut mastichino, vinum exhibendum, quod in omni defectu virium singulare est remedium; nullum autem symptoma est, quod adeo breuē occasionem habeat ipsa syncope, in qua nisi Medicus præsto sit paulo post non sufficiet, vt scripsit Hypp. lib. primo de morbis, in his igitur naturis & casibus non modo in accessione, sed paulo ante ipsam nutriri licet, nō in ratione morbi, sed vrgentiæ victus sit astringens leuis qualis alica est, ptissana, vinum austerum, pirum coctum, mali punici succus, gallorum testes.

CAP. XXXI.

Describitur febris cardiacę ęlodes casus ex Cornelio Celso lib. 3. cap. 19.

CVM æstas similis veri precessisset; ac rorida. Adolescens 25. anno ætatis suæ temperie laudabili febre corripitur cum perpetuo sudore circa pectus solum & faciem. cruribus tamen siccioribus, atque frigentibus; facies subtumida, & rubra cordis palpitatio, & anxietudo. Quæritur natura morbi, & curatio ipsius.

Dignotio.

FEBRIS prædicta acuta est, maligna, sudorifica, seu ελodes dicta. Causa cordis, & ventriculi intemperies ac languor, quibus fit, vt to-
tum

tum corpus sudore perfundatur. Solent enim cordis affectus sudores effundere prauos, & symptomaticos.

De primo medici Scopo. An aliquid in hac febre moliendum sit.

CVM febris sit maligna, acuta corde affecto, & cum perpetuo sudore, valde lętalis censeri debet. Nam eiusmodi sudores ait Hypp. praui sunt, prę suffocatione, impetu, & violentia morbi fientis; non tamen perinde deserendus ęger est; sed periculo Astantibus nunciato Medicus manus auxiliares adhibeat. Nam si consequi poterimus, vt sudores impetus minuatur (ait Celsus, & vita prorogetur) incipit iam tempus remedio esse. 4. Acutorum

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

VIRES, quę secundum naturam sunt, & languent, sui conseruationem postulant, febris attemperantia, sudor, vt qui valde debilitet, comprimendus; viscera roboranda, & crurium frigiditas corrigenda.

Qua ratione prędicti scopi recte fiant. Quę attemperant, & sudorem retinent.

ATTEMPERAT, & sudorem compescit in primis aer, qui omni ratione refrigerãdus; cordi & stomaco epichema adhibeatur ex aqua rosacea ad lib. I. aceti vero rosati ℥. 5. vini generosi rubri ℥ iij. Cęterum corpus inungendum in ea parte, qua sudat oleo mirtino in quo puluis siccarum rosarum, & aluminis incorporentur. Hypocondriis cataplasmata ex farina hordeacea cum succo acetosę malaxata.

De conseruatione Virium, & syncope prohibenda.

QVAMVIS febris sit valde acuta, quia tamen corpus sudore digeritur, ideo aliquando copiosius nutrire oportet; idque parum, & sępe; erit autem illi nutrimentum sorbitio ex ptissana, cui mali punici succus adiunctus capponis destillata aqua cum aqua acetosę. Potus sit aqua hordei cum qua iulapium ex acetositate citri factum misceatur, & cum vrget imbecillitas vinum rubrum aqua frigida temperatum dandum, & intritus in eo panis. odorata naribus admoueantur ex odoribus, quos implentes, & placentes vocat Hypp. quales sunt carnium assarum, & malorum cotoneorum, ac persicorum, nec non vini generosi; ad pedum frigiditatem ligaturę, frictiones, vnctiones, ac fomenta adhibeantur. 8. Epid. 6.

M CAP.

CAP. XXXII.

Febris colliquantis casus.

FABER *ferrarius natura biliosus, & gracilis in principio autumni circa decimam horam diei febre corripitur, calor tactu non multum excedens, maior tamen circa thorac ē, & in internis partibus vrebatur cum siti. Pulsus paruus, frequens, & debilis. Vrina citrina crassa supernatantibus quasi araneorum telis; alui fluxus frequens, & quę excernebantur pinguia, & fetida sitis, vigilia, anxietas, facies valde extenuata, & adhuc magis tertia, & quarta die. Quæritur natura morbi, & cura.*

Dignotio.

FEBRIS *prædicta acuta est, continua, maligna ex genere colliquantium. Causa calor est malignus, qui non modo per insensibilem transpirationem; sed manifesta excretione corpus dissoluit: liquantur.n.in hac febre partes pinguiores, sicuti in igne carnes humidę. vnde dicebat Galen. becticas febres similes esse liquantibus; sed in illis carnes sicciores nil sensile mittere; at in his humidiores colliquari. Notat Card. febrem acutam cum fluxu alui vel fieri colliquatione, vel cum pars materiæ tenuior excernitur crassior vero remanet; vel ob phlemonem quod omnibus inutile est vacuare, præterquam in inflammatione, in qua sanguinis missio conuenit in casu tamen nostro ex liquatione oritur.*

9 Meth. vlt.

De primo Scopo. An Medicus quidpiam facere debeat.

CVM *febris maligna sit colliquans cum alui fluxu, & quæ tam paruo spatio corpus extenuauit, & magna virium sit infirmitas, corpore resoluto plus quam ratio postulat, ideo mors prędicenda intra septimam, aut vndecimam diem; nihilominus certioribus redditis Astantibus de euentu morbi non negandum est auxilium; nec enim in acutis morbis omnino salutis, aut mortis certę sunt prædictiones, nec vnquam in illis deserendi ægri interdum.n.pręter opinionem, qui à medicis deserti sunt conualescunt.*

2. Aphor.

De secundo Scopo. Quid Medicus agere debeat, & de commodo remediorum vsu.

VIRES, *vtpote quę secundum naturam sunt sui conseruationem postulant. Morbus causa & symptomata, & quæ refrigerant, obtundant,*

&

& emplastica sunt, nec non leuiter adstringentia tam intus, quam extra, vt corporis resolutio reprimatur tam sensilis, quam insensibilis.

De his, quæ attemperant, & calorem obtundunt.

RECTE *Galen. docuit non aliter curandas has febres colliquantes quam hecticas: nam in illis paulatim absumitur corpus, in his vero repente. igitur aqua, hordei cum oxisaccharo, vel succo mali punici, acidioris dari debet. Cęterum hordeum, quod in aqua coquitur, prius in aceto sit maceratum. Aer procuretur frigidus. Cordi & stomaco epithemata adhibeantur, necnon hypocondriis, quæ habent aquæ rosarum acetosæ melissæ an. ℥ iiij. vini rubri maluatici, aceti rosati an. ℥. I. exacte tepida admoueantur, & totum corpus rosino vnguento illineatur.* 7. Meth. in fi.

De conseruantibus Vires, & fluxum cohibentibus.

IN *colliquatione dicebat Hypp. sorbitiones crassiores esse oportere magis quam adstringentes; debent. n. crassæ, vt obtundant, & difficile dissoluantur. Frigidæ, vt attemperent in hanc intentionem lac dabitur, ex quo butyrrum sit extractum cum dimidio pondere aquæ tandiu coquatur donec ad quadrantem redeat; inde calybe in eo extincto bis propinetur; erit enim alimentum, & medicamentum. Brudus recitat securasse mulierem Anglicam fluxu, & febre laborantem iure pulli, in quo refrigerantia, & adstringentia incoxerat, vt in rubus, oxalis, plantago, cichoreum rubi germina vel rosę, borrago, herberis, coriandri, semen præparatum, corallus rub. & menta. Ptissana quoque hordeacea cum succo mali punici, & alica si parari poterit, pirum etiam assum concedi potest, & acidum lac, quo remedio in India, vt pręstantissimo in dysenteriam vtuntur medici. aqua item in qua intritum cotoneus sit maceratum; optima; stomacus oleo melino vngatur, vel spongia imbuta aceto, & aqua rosacea. Cum vero in hac febre vires tam ex vasorum; vacuatione sensili, quam insensili dissoluantur nulla euacuatione est opus.*

CAP. XXXIII.

Febris cum ingenti capitis dolore casus ex Hypp. poc. 3. prognost.

FRATER *quidam Dominicus, qui nuper ex Hyspania venerat annorum xxxxv. robustus, hirsutus, & calidæ naturę, cum ad satietatem vsque cenasset febre corripitur acuta cum ingenti, & forti capitis dolore,* 32. Casus.

lore, siti, inquietudine, & vigilia. Urinæ crassæ turbatæ, vt iumentorum, secunda die sanguis niger è naribus exiit nihilominus perseuerabat febris, & capitis dolor ingens. Quæritur natura morbi, &c.

Dignotio.

4. Acut. FEBRIS *acuta est, continua de genere aderentium. Causa multitudo biliosi sanguinis non modo in venis magnis, sed totius corporis, & præcipue capitis collectus; vnde ingens ille dolor, stilla.n. illa sanguis venarum copia inflammationem significare scripsit Hipp. semper enim in febre quauis affecta vna pars esse apparet quę ex symptomatis illius dignoscitur, vt hic caput ob dolorem & vigiliam.*

De primo Scopo, quid Medicus agere debeat, & de commodo remediorum vsu.

3. Prog. CVM *febris sit acuta continua, cum ingenti capitis dolore, atque sanguis niger secunda die exiierit, sanè valde contingit dubitare de vita ægri. Nam vt dicitur ab Hypp. dolores capitis magni cum acuta febre, si aliquod signum accesserit malum letale esse, & videbatur pessimum esse nigrum sanguinem secunda die eductum; quæ.n. iudicatoria sunt dicebat Hyp. non statim apparent; verum cum robustissimus esset æger sperare cepi, & iudicandum denique febrem per eundem fluxum sanguinis enaribus, vt contigit quinta die.*

De secundo Scopo. Quid Medicus facere debeat.

VIRES, *quæ secundum natura sunt sui conseruationem postulant febris, & causa attemperantia, & euacuantia, atq; coquentia, capitis dolor, sitis, vigilia, inquietudo correctionem requirunt de quibus sigillatim dicendum.*

De vacuantibus.

Primo Acut. CVM *homo nuper cibatus febre corriperetur curaui, vt cibus ad interna intestina trahatur per clysterem iuxta Hypp. sententiam; post horam sanguis missus est, à vena cephalica destri brachij ad ℥ x. & cum perseuerassent omnia die tertia sanguis ex cephalica brachij sinistri ad ℥ totidem missus est; perseuerante dolore, & reliqua symptomata; cucurbitulę die quarta cum scarificatione admotę sunt scapulis, lumbis, & cruribus; ligaturæ extremorum adhibitę, & frictiones: erat.n. timor ne frenitis*

nitis vel conuulsio, aut aliquod magnum cerebri malum arriperet. Sanguis tamen enaribus aliquando apparebat.

De attemperantibus, coquentibus, & expurgantibus.

CVM magnus esset ardor, & sitis dedimus in aurora hanc potionem, ℞ syrup. acetosi simplicis ℥ 1. capillorum veneris de accido citri an. ℥ 5. aquarũ acetosæ cichorei an. ℥ iij. summat calidũ; clyster tertio quoq; die. Cum verò materia turgeret, quod ex inquietudine apparebat purgaui humorem VIII. die, hoc, quod habet ℞ electuarij de succo rosarum min. Mes. ℥ ij. syrup. rosati sol. ℥ iij. cum decocto florum, & fructuum fiat potus; à quo euomuit multa biliosa, & deiecit noctu sãguis erupit è naribus, & factus est à febre liber potius ex viriũ robore seruatus qua ex natura morbi.

De corrigentibus symptomata.

CVM omnia symptomata vigerent, & morbum augerent, illis occurrimus, & primo capitis dolori, pro quo sedando oxirodinum raso syncipiti admouebatur, quod habet olei rosacei omphacini ℥ iij. aceti rosati ℥ 1. fiat oxirodinum ad somnum vngebatur frons, tempora, pulsus guttur populeone vnguento, & sumebat ℥. 5. syrup. de pappauere, ad sitim colluebat os aqua hordei, & bibebat ex illa per interualla heminam addito iu lapio violaceo, & limonis succo, ad inquietudinem iubebam quam maxime quiescerit in vno decubito, & in aere obscuro, & stomacum oleo melino inungeret assumeretq; lapidis betzoartici grana 6. ter in die.

De conseruantibus vires.

CVM acutissima esset febris, vires valerent, & robustissimus homo esset tenuissimo victu vtendum ratus, & cum aborreret ptissanam de di illi mala duo cocta, & lactucam coctam bis in die. Potus aqua hordei cum saccharo, & limonis succo quo cum victu ad septimam perseuerauit, inde vberius nutriui declinante iam morbo. Seruando quod monet Hypp. 1. Acutor.
vt in declinatione morbi ad cibos accedamus, sed post duos dies a iudicatione ad maiorem securitatem. tunc & oua sorbilia, & carnes pullorum coctas, & assa hepataeorum, nec non pisces saxatiles dedimus, qui in febribus carnibus sunt anteferendi semper.

CONSILIA ALIQVOT variorum Morborum Roderici à Fonseca, & primo explicatur,

Qua ratione vulnera capitis curari possint sine caluarie apertione, & per oleum Apparitij celeberrimum in tota Hyspania, & admirabile remedium.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur etiam. An capitis, & cerebri vulnera, an per siccantia magis, vel potius per humectantia curari debeant.



VPLEX in curandis caluarię vulneribus occurrit controuersia: quarum altera ad medicamenta pertinet, quæ admouentur altera ad apertionem ossis, quorum vtraque decisionem requirit, & vt à prima incipiamus duplex curandi ratio fuit; Alij n. per blanda, & anodina capitis vulnera, (seu cerebrum conspiciatur, seu non) curanda esse, & ratione, & experimentis comprobant, vt Ro-
5. Meth. vlt. *mæ Gal. texte fieri solebat; Alij per siccantia, vt in Asia tum quod omne vulnus exiccationē postulet, & humida renuat, tum quod, & membrana cerebri, & caluaria natura sicca siccantia pharmaca desiderant; quale*
6. Meth. *Hypp. ex farina hordei tosta, aut Gal. ex thure mirra aristolochia panace, & erui farina. Itemq; emplastrum isis cephalicam moschionis aristę & decleontis per quæ, vt refert Gal. plures quam per humida seruati sunt. verum si naturam cerebri consideres quod neruorum principiū sit, & ideo facile inflammabile, si vulnus quod contusione plerumq; iunctam habet & dolorem comitantem, non immerito dices, medicamenta cerebro læso adhibenda blanda esse debere, & anodina, quale nostris temporibus est rosaceum oleum omphacinum, & mundificatiuum, quod rosaceo, ouo, & terbentina constat, quam rationem curandi Romę solitam idem Gal. approbauit, & rosaceum oleum ad membranam detectam adeo esse conueniens, vt melius, quo ipsius verbis vtar, nihil possis inueniri capite perforato, quam vt rosaceo oleo vtaris, & plurimos, ideo per hanc curam sanatos Romæ, & nunc sanari vidimus, & secundo per loca medicamen*

men

men adhibet cerebro, quod e succo calamenti, arina farina milij cum butiro, rosaceo, & axungia paratur. Quare cum vterque curandi modus à Gal. & veteribus probetur, & experientia confirmetur vtroq; vti sine vitio poterimus; nec inconueniens est curari morbum per similia, & per contraria, & per ea, quę diuersa sunt potentia vt scripsit Hypp. Cęterum quę per siccantia fit pharmaca tutior esse videbitur cum ab essentia morbi sum matur; quam ea, quæ per blanda, & anodina quę per accidens est (nullum.n. capitis vulnus humectari postulat ait Hypp.) omne enim vlcus exsiccari desiderat, & à parte affecta, membrana enim cerebri sicca est, ipsa tamen doloris acerbitas, contusio, inflammationis metus ob vrgentiam blanda, & anodina requirunt.

In secunda controuersia habemus Hypp. totius medicinæ parentem, qui præcipit, vt in omni fracto osse, & magnis caluarię ictibus os ferro persequatur, modo ad cerebrum vsque si penetret, aut lęsum appareat; modo ad formam vsque panem, & rimeæ finem. Cui adstipulatur ratio, quia sanguis si colligatur intus aliter expurgari nequit, & in purgatus putrefacit viscus cum morte inenitabili, sed cum inueniat natura docta vias pellendi tamen cerebrum; adsint & medicamenta materiam extraentia extremum sit remedium errores qui committuntur perforando. Multo non sine ratione alij rarissime, aut nunquam perforandum os caluariæ volunt detestanda sane est audacia chirurgi, qui vel leuissima causa perforetur caput, ac si esset torcleare; quod si etiam fiat morbo id requirente cum extremum sit remedium, cerebra concutiatur refrigeretur possintq; ledi ferro membranæ futuræ, ossa temporum quę per secta conuulsionem faciunt, omittenda sit eiusmodi cura, vtendumq; potius emplastris saniem extraentibus, quibus sine vlla noxa vti possumus. Quæ omnia perpendens, Celsi sententiam approbandam puto. Qui hac de re in hunc modum scripsit. Lib. de capitis vuln.

„ In omni fisso fractione ossi, Antiqui Medici ad ferramenta veniebant, quibus id exciderint, sed multo melius est ante emplasta experiri, quę caluarię causa componuntur, eorumque aliquod ex aceto molitum per se super fissum fractumue os imponere, deinde super id, aliquanto latius quam vulnus est illitum lentiolum, & præterea suscidam lanam aceto tinctam, tum vulnus deligare, & quotidie resoluere similiterq; curare vsque ad quintam diem; sexto die etiam vapores aquæ calidæ per spongiam fouere, & cætera eadem facere, quod si carruncula concrescere ceperit, & febris, aut soluta erit, aut lenior, & cupiditas cibi accesserit, satisque somni est in eo medicamento perseuerandũ sed si sub hac curatione febris intenditur, breuesq; somni, & tumultuosi, vlcus, madet neque alitur in ceruice glandule oriuntur, magniq; dolores sunt, cibi fastidium increscit tum demum ad manum scalptumq; veniendum hæc illę. Nos verò vti poterimus emplastro aliquo ex his, quæ à Galen. describuntur quale isis V. de med. secundum genera

cap. 20.

cap.20. & deilionis lib.4.cap.13.est & emplastrum conciliatoris, qui saniem extrahit extra caluariam, quod habet gummi ellemi ℥ iij. resine pini purissime ℥ iij. ceræ ℥ 6. olei rosacei ℥ ij. 5. amoniaci ℥ ij. terbentinæ ℥ iij. & ℥. 5. fiat vnguentum, ponit quoque gentilis, multa emplastra optima parte quarta Auicennam in consiliis suis, consilio pro fractura cranei.

CAPVT II.

De oleo Apparitij.

SED veniamus ad oleum, quo vtebatur Apparitius quidam à Cubra natione Vasconius homo illiteratus, & omnia capitis vulnera curabat in Hyspania sine vlla caluarię apertione ad miraculum vsque nec vsquam Vasconius dum viuit secretum alicui pandere voluit, eo autem mortuo vxor consilio, & stipendio Regio commota olei compositionem eiusq; vsum detexit. Quod habet ℞ olei veteris lib. iij. vini albi antiqui, & optimi lib. ij. resine abetinæ, cuius penuria sint terbentinæ lib. ij. thuris optimi triti, & cribrati lib. 5. valerianæ, cardi sancti an. ℥ iiij. tritici puri pug. iiij. perforatæ saluiæ an. lib. 5. fiat oleum.

Modus conficiendi.

PRIMO erunt vino macerandæ herbæ per diem integrum in olla lutea vitreata, herbæq; sint primum forcipibus excisæ; hoc.n.modo, quæ oleum ingrediuntur parari iubet Galen. tum triticum, & oleum in ollam proiciantur, & cum bene inter se coniuncta fuerint, olla iterum cooperta ad lentum ignem carbonibus accensum, aut flamma exigua, & sine fumo, vsque ad vini consumptionem bulliant, & quandoque cum tudecula oleum simul agitabimus, & ollam subinde aperiemus, postea coletur colo denso, & exprimatur, vt herbarum virtus in oleo maneat: inde vero in illam redeat oleum, postea adde therbentinam cum qua oleum parum decoquatur vsque ad olei crassitudinem; postremo thus per se solum etiam; antea optime comminutum, & vino maceratum; tum cum placuerit ipsum inspergas, & ferueat parum; tunc quiescere nocte siue postridie cola, & vase vitreo, aut vitreato serua.

Lib.4.de san. tuen.cap.8.

De vtendi modo, & qua cautione.

ANTE omnia ex vulnere eximendum quidquid in eo inciderit siue telum sit, siue teli, aut ossis, aut rei alterius frustulum, siue pilus, siue sanguinis concreti grummus; tum vulnus vino albo calido lauandum, & si

plaga angusta fuerit cathetere immittendum erit; mox oleo, quod calidissimum quantum patiens sufferre poterit vulnus implendum, supraq; linteola oleo imbuta imponenda, & extremum vino iterum calido super imponatur; ita vt nec numero linteorum nec pressu vulnus grauetur; demum commoda fiat deligatio, & sic ad finem vsque perseuerando curabit; quia oleum habet omnes intentiones, & siccandi, & abstergendi, & attrahendi, & incarnandi. Interim & vacuationes, & victus ratio instituendæ, ac commode. Omnibus enim vlceribus magnis à principio ieiunum conferre & aquam, nec non purgationem esse necessariam scripsit Hypp. eoq; magis in capite in quo, vel cutis solum incisa nisi recte tractetur periculum ingens inducitur; quamuis Vasconias spretis his omnes curaret, si vulnus fuerit paruum, & vulneratus boni habitus semel in die curabis, sed in æstate, & maiori malo bis, verum si sanguis fluat admoueri poterit oleum frigidum cum adstringentibus, & oui candido. Cęterum hoc vtentes oleo nullo modo perforare caluariam oportet, & si penetrauerit ad cerebrum vulnus, hoc eodem oleo vtendum; ex quo abunde patet curationem per ea, quæ siccant vtpote ab essentia rei deductam, indicante id affectu, & parte affecta optimam esse. Omne.n.vulnus recens dicebat Gal. & Hypp. medicamentum requirit enemon, quod mediocriter exiccet, & membrana cerebri quanto siccior est tanto valentiora siccantia postulat. est etiam hoc oleum omnibus frigidis passionibus, & antiquis vnicum remedium. Cęterum Gentilis de Fulgineo in vltima parte Auicennæ sui consilia quædam scribit, & in eo cui titulus est receptæ in fractura cranei, proponit remedium Episcopi Cremonensis, quo vtitur in desperatione, cum nulla alia remedia iuuant ob vulneris prauitatem ad quod recurrendum censeo in vltima desperatione.

Prima Consultatio pro nobili Ianuense moniali reiectatione sanguinis laborante, casus.

VIRGO sacra ætate annorum xxiij. natura biliosa, & superioribus partibus exardens; pectore angusto, collo longo, & gracili, cui menstrua anno xij.xiij. apparuere inde ad xvij. annum suppressa sunt, a xvij. vsque ad xx. rediere menses, & recte habebat à xx. anno vsque ad xxiij. menses imminuti sunt, & aliquando salsa destillatione à capite laborabat, quamuis mēse Octobris proximi pręteriti post lactis assumptionem, & missionem sanguinis ex pede melius habuisset; tamen rediit salsedo. Sanguinem, iam agitur annus, singulis ternis mensibus spuit, pauca tamen quantitate viuidum, floridum, & spumosum, vltima tamen reiectione, quæ fuit 18. die Ianuarij pręteriti reiectauit sanguinem maiori cum tussi, & quantitate spacio trium dierum ad ℥ vij. circiter. Quoties sanguinem reiectauit

uit missus illi est à brachio bis, aut ter semel in die; & quoties sanguis missus illi est etiam si modica quantitate imminuti sunt menses magis; dicit nobilis hæc Virgo in pectore se sentire quasi vermem mordentem. Cęterum in sanguinis reiectationibus nullus præcessit labor, aut causa manifesta. Rursus sanguinem spuit licet pauca quantitate præterito mense Maij, Iunij, & Iulij, & à die quinta Iulij aliquid febris persentit; quotidie pedes frigent superioribus partibus ardentibus; lac asinę per aliquot dies assumpsit à quo tamen abstinuit ob stomaci imbecillitatem. hæc est Historia. quidam mittendum sanguinem volunt à brachio bis aut ter in modica quantitate. Alij non esse mittendum sanguinem, sed alterandum, & diuertendum, & prouocanda menstrua. Alij sanguinem ex pede mittendum esse volunt, ne fiat maior mensium suppressio.

Pars affecta.

P*ARS affecta pulmo est, quod ex sanguinis qualitate exeundi modo, & pruritu illo in pectore colligitur item ex habitu corporis vitæ ratione, & ætate afficitur autem pulmo per consensum primo deinde etiam per essentiam. Consensus duplex, alter ab vtero ob mensium retentionem, alter à capite transmittente materiam ad pulmonem. Per essentiam vero quia cum pulmo diu laborasset hoc affectu, & sui etiam natura debilis sit ex sympatia facta est ideopatia.*

Quis affectus, & quę illius causa.

S*YMPTOMA est in excretis pręter naturam cum excernatur, id quod non debet, & quo non debet. Affectus duplex esse videtur, alter in via meatuum apertio pulmonis, quam gręci anastomosin vocant; alter solutio continui iam incipiente ab erosione (ni fallor) vlceratione. Causa vtriusque non modo sanguinis tenuitas, sed mala qualitas, quæ tum aperit tum erodit pulmonem natura debilem. accedit partium superiorum caliditas attrahens, & præcipue capitis; vnde etiam pedes refrigerantur, erosio, quam ait se in pectore sentire quasi vermen ob destillationem paulatim fientem ex capite fieri notat Hypp. lib. de morbis primo.*

An Medicus quidpiam agere debeat.

7. Aphor. 36. S*I vllus est casus, quo sententia Hypp. locum habeat hic vnus esse videtur. s. ad sanguinis sputum sequi puris sputum, & denique tabem; id quod indicat natura ad motum prompta, vitæ ratio, ætas, quod toties malum repetierit,* 5. Meth. *quod suspitio sit non mediocris, tam adesse erosionem, quam*

incu-

incurabilem indicauit Gal. quod ex mensium defectu ortum habeat, non tamen ob hæc puto deserendam esse nobilissimam hanc Dominam, quia si debita cura, & diligentia tractetur sperandum est si non mali absolutam curam, eius tamen impetum, vt alias factum est tolli posse, & cum in hoc malo periculosa sit omnis dilatio, ideo statim ad remedia veniendum.

Quid agendum sit.

VLCVS, & meatuum apertio in pulmone adstrictionem, & obturationem indicant; fluxus ad pulmonem reprimendus sanguis attemperandus symptomata lenienda, & ne malum recurrat procurandum, & quia reuulsio primum locum obtinet ab hac incipiendum.

De reuulsione.

SANGVINIS missio rectè sanè facta est ab Excellentissimis Medicis toties, quoties repetit malum; nec.n. sanguis, qui à pulmone excernitur citius, & melius sisti potest quam repetita illa sanguis missione ex vtroque brachio vt monet Hypp. ideo si symptoma expectetur hoc est ex 1. de morbis. *cretio semper à brachio fieri debet, quod tamen magis vrget vbi sanguinis copia spuitur, quam mensium prouocatio, ob propinquitatem quamuis si ex tallo missus fuisset non sine magna ratione, & non minori iuuamento factum putem, sed in casu nostro, in hoc tempore cum sanguis, qui spuitur vix appareat & corporis habitus adeo tenuis, & acris vrgeat fluscio, pro nunc ideo abstinendum à missione sanguinis iudico aliis reuulsionibus cōtentus. Nam & ipse Gal. in muliere Romana, quæ inediam quatuor dierum passa* 5. Meth. *est à sanguinis missione abstinuit, & præcepto tradit in corpore exangue, & extenuato non esse prius mittendum sanguinem, quam, & nutritio, & succorum attemperatio facta fuerit, & Trallianus etiam in acri fluxione a sanguinis missione abstinet, qua facta attemperatione, & nutritione tunc ex vena talli prope mensium tempus ad mensium reuocationem, vt sanguis educatur consulo magnam.n. dixit Hyppoc. esse communitatem pectorum mammarum, & pudendorum; ideo nunc aliis vtendum reuulsionibus.* 2. Epidem. *Cumque vrget symptoma in quiete, silentio, minima respiratione continenda, fricanda brachia, & potissimum crura quotidie oleo anethino cui aliquid piperis, aut synapi sit adiectum, & ligaturis vtatur, & quod maxime fieri velim, coxis frequenter cucurbitulæ siccę applicentur; aliquando etiam scarificatę ad mensium euocationem potissimum diebus, quibus solent illi menses venire cruribus. nam missio sanguis ex vena tali valde dissoluit spiritum, vt docet Gal. lib. de cucurbitulis nulla.n. spes est ait Hypp. in mulieribus hoc malo affectis quam si optime menses apparuerint.* 2. prædict.

De purgatione.

5. Meth.

INTER reuellentia purgatio post sanguinis missionem primum locum tenet, & Gal. ex hemoptoica passione, quæ per diaurosim, seu erosionem fit purgandum esse docet medicamento, quod plures educat humores, quod ex agarico conficitur, aloe, coloquintida, & scamonea, in cuius locum habemus aggregatiuas pillulas: verum quia sumus sub Cane in corpore valde sicco lenius purgandum esse; putamus, quale hoc est ℞ cassie ℥ 1. agarici raubarbari in puluerem redactorum cum aliquanto cinamomi, & zinziberis an. ℥ 1. cum puluere anisorum, & sacchari fiat bolus assumendus in aurora, vel eisdem vtatur ex infusione seri lactis additis syrup. rosati sol. ℥ ij. facta purgatione, pessi, in vterũ quotidie immittatur: ex parteniỹ succo addito myrrhę puluere sindone exceptis deinde ex succo artimisię, & conisę, quę pręstantissima omnium iudicauit Hypp. ad menses educendos in progressu etiam cum iam sputum sanguinis fuerit restrictum vtatur artimisiæ syr upp. ex decocto critini hoc est feniculi marini, cuius plantæ, radices, semina, & solia Hypp. in vino coquebat, ad menstrua euocanda; sed hæc potio dum spuitur sanguis dari non debet, sed pestis vtendum.

Lib. 1. de morbis mulierũ.

De attemperantibus.

Hyp. 1. Epi. 6

DVM fit his artibus reuulsio, sanguis attemperandus, & incrassandus, & exsiccandus, quo iure nullum potentius remedium, aeris commodi mutatione reperiri patet; quippequi continuo à pulmonibus trahitur, ideo ad Tabias mittebat Gal. huiusmodi ægrotantes & Celsus in Africam nauigandum docet, sed quia ob eius institutam vitæ rationem locum mutare non esset facile, ideo saltem paretur eius habitatio sic, vt pateant fenestrę ad cęlum temperatius, & vtatur perpetuo suffitu talami ex rosis therebinto succino, camphora, belsuino, Victus vero quoties vrgat excretio tenuissimus esse debet; dieta enim vtendum à qua exanguissimus fiat inquit Hypp. & Gal. in muliere & iuuene hemoptoicis sola ptissana, & piro vsus est vsque ad quatuor dies, sed in casu nostro pro nunc, quia non multum vrget, & deinceps quo minus apparuerit sputum sãguineum copiosius nutriendum, nil enim est perniciosius in hoc malo quam corpus esse tenue, & exangue, vt scribit Hypp. ideo lacte crassefaciendum perpetuo monet; sed quia nobilissima hæc Domina ex vsu lactis liquidi (quod alioquin præstantissimum est remedium, & etiam vt alimentum) stomaco noxam sentit, alia ratione parandum lac, vt si non vtatur in potu saltem in cibo; igitur eo vtatur vel caprino vel bubulo; sed incocta farina tritici in modum pultis, (cioè di pappa) aliquando coquat far in eo, aliquando orizam

1. de morbis. 5. Meth.

De internis affect.

ali-

aliquando panem; immo ipse panis quotidianus sit factus ex lacte, vt faciunt Belgæ, lactis igitur in hunc modum sit illi perpetuus vsus, quo solo viuendi modo lactis (ait Trallianus) quidam cum per totum annum vsus fuisset, & à vino abstinuisset, liberatus fuit, quando vero vsus lactis tedio fuerit ptissana vtatur cum saccharo, aut amygdalatum cibus, qui sanguinem incrasset ex pullo elixo, seu asso, ex pedibus castrati optime coctis, ex lactuca cucurbita intubo coctis, oua quoque recentia, sorbilia vix cocta, album.n. emplasticum est, pisces saxatiles elixi in albo iure. Potus vero sit aqua in qua rosa, liquiritia, & capillus veneris sint incocta, ex fructibus pira, & passulæ, attemperato sanguine, iterum ad partium attemperationem veniendum. Lib. 7. cap. 2.

De partium attemperatione.

DICEBAT Gal. quatuor esse præsidia huius mali sanguinis .s. missionem, purgationem, caput roborantia, & narcotica; sed caput roborare idem est ac attemperare; ipsæ tamen Gal. in hoc proposito in Mulieris casu, & iuuenis calidissimis vtitur; emplastrorum ex columbino stercore, & tapsia, quam tamen curandi rationem, vt periculosam, & præcipue in casu nostro, cum partes supernæ ardeant, cum Tralliano reicimus, & putamus deueniendum esse ad ea, quæ refrigerant; ideoque abraso syncipite oxirodino vtatur frequenter, vel Galeni refrigerãte, quotidie pectus vngatur oleo melino: inter attemperantia balneum aquæ dulcis magnum videtur præsidium, & licet Gal. abstinentiam eius commendet timens meatuum apertionem, eo tamen vtitur in muliere, & iuuene, & Trallianus in acri fluxione eo vtitur, sed pro nunc vterer embrocha ex tepida in qua betonica camemelon, malua sint incocta. 5. Meth. 5. Meth. 5. Meth.

De his, quæ adstringunt, & consolidant pulmones.

QVIA supponimus meatuum apertionem, & aliquam factam adesse erosionem, vsus perpetuus esse debet eorum, quę re nutriunt adstringunt, & emplastica sunt, & præterea aliquando eorum, quæ pulmones expurgant in prima intentione commendat Hypp. vsum decocti lentium, oportet autem bis coquere, & vltimo decocto vti, habet.n. lenis miram siccandi, & adstringendi facultatem, & fortasse occultam aliquam proprietatem aduersus hoc malum hoc decocto vtatur cui sacchari aliquãdo aliquid adesse oportet: poterit ergo per aliquot dies vti in locum syrup. hoc decocto, quinimo & ipso cremore lentium coctis lentibus exactissime ad similitudinem hordeati. secundum remediũ conuenit, potissimum cum vrget sputio sanguinis, & est oxicratum valde aquosum, & temperatissimum tepidum,

dum, vtpote adstringens, & grummos dissoluens. tertium remedium præstantissimum omnium iudicat Alexander, & quod non solum emplasticum sit, sed à proprietate repugnans est puluis capedis hęmatis idis tenuissimus exhibitus per interualla cum succo pulligoni, aut mali punici ad ℈ iij. vel ℈ iiij. dat etiam in expressione vini odorati, & in quibus sanguis non erat multus cum aqua tepida, & mirum est (ait Trallianus) quam vlcus exic cauerit sanaueritq; in hanc quoque intentionem vsus frequens sit sacchari rosacei veteris, in quo pastilli fieri poterunt, quos sub lingua teneat perpetuo ℞ sacchari rosacei ℥ I. pulueris boli armenæ . . . an. ℥ I. cum tragacanto fiant pastilli in ore tenendi. Ad pectus expurgandum teneat etiam in ore liquiritię succum, & vtatur amygdalato cum sacchato, & syruppo violato.

Lib. 7.

De corrigendi symptomatibus.

QVONIAM symptomata, quæ valde affligunt hos ęgrotantes, & vires deiciunt, & morbum augent, sunt tussis, & vigilia, hęc vero adhibitis narcoticis medicamentis sedantur; quæ (vt ait Gal.) commodissima sunt in hoc affectu, vtputa sanguinem sistentia, & fluxiones, ac somnum conciliantia; ideo his vtendum esse putamus, sed cum debita cautione; quia angustant pectus, & corporibus debilibus nocent; inter cætera laudat Gal. diaspermaton, vt nobilissimum narcoticum in hoc casu; cuius hæc est compositio. ℞ ameos, anisi, feniculi an. ℥ iij. opij alterici apij an. ℥ ij. leuigentur cum aqua, cuius cum vino odorato ʒ. 5. dari poterit, noctu cum it dormitum; laudat etiam mirifice Alexander diacodion medicamentum, cuius duplicem facit compositionem, alteram cum sapa, alterã cum melle. Nam Gal. vrgente acri fluxione cum sapa magis miscet, cum vero expurgare vult pectus cum melle leuior inter narcotica est syrupp. de pappauere, cuius coclearia duo, aut tria per interualla assumere poterit cum it dormitum.

7. per loca.

De præseruatione.

SI sanguis sistatur, & melius habeat, fugiat omnem motum violentum, vociferationem, & risum validum, iram, tristitiã, omnia calida, acria, aromata salsa, auras mattutinas, & vespertinas: deambulationibus vtatur mediocribus; purgetur bis in anno raubarbaro, & agarico, vel aggregatiuis pillulis in vere sanguinem sibi mittendum curet, sed si ad sanguinis sputum sequatur puris sputio, quod Deus auertat, & corporis extenuatio aer, si vlla licentia impetrari potest mutetur ad aliud monasterium extra Vrbem, balneo vtatur in tina quam moderatissimo in quo quatuor horis resideat,

sideat, persistendum in esu lactis, & emplastricis cauteria in cruribus duo procuret facienda, vidi ego hemoptoicos ex longa iam puris spuitione diutissime viuere. nam vlcus licet coalescere non possit, solet callum contrahe- & sic nec sanguis neque pus educitur quamuis per interualla recrudescat re si recte tractetur, Deus vero suas auxiliares manus prębeat.

Consultatio secunda pro Melancolia nobilis Ianuensis Hieronymi Mercurialis, Maximi Aquilani, Roderici à Fonseca relatio.

ILLVSTRIS Vir ætatis annorum quinquagintasex circiter suapte natura boni habitus, & minime morbosus temperaturę quidem in actiuis calidę, in passiui ad siccum vergentis, fuit.n.diligens, prudens, & sagaci ingenio à natura dotatus vigil, atque natura gracilis; factum est vt ob innumeras publicas, & priuatas curas, nec non & ob merores maxime ipsius animum vexantes caput illi aliquantisper affectum fuerit, nempe aurium tinnitu, qui cepit infestare Illustrem Virum sunt xiiij. anni, cuius affectus causa relata fuit in multos odores, & vapores ab herbis, quibus vtebatur tempore pestis super ignem ad euitandum contagium, à quibus propter nimiam intemperiem debilitate ortam, cępit tinnitus aurium infestare Illustrem Virum, & perdurauit vsque ad annum 1591. & vltra; post modum absque vllo pręsidiorum auxilio euanuit tinnitus; præterea erat assuetus per nares plura pituitosa excernere, & sanguinem, quę etiam euacuationes suppresse sunt; cępit ab his memoria paulatim consueto reddi debilior, atque omnes intellectus vires, paulatim etiam minuit, quo ad ratiocinationem atque ad intellectus acumen; quæ omnia in dies magis vigent, nec filios, & res domesticas curat, vt maxime solebat, & stupor quidam adest & in somnum propensio cum obliuionem præter rationem risus quorum symptomatum causa referimus ad intemperiem frigidiorem, atque humidiorem capitis; cum.n.debilitatum in initio fuerit caput ob curas, atque à vaporibus illarum herbarum tempore pestis, atque etiam ob suppressas iam dictas euacuationes, in dies humidius, & frigidius, redditum caput, factum est, vt in præsentiarum non ita possit eorum, quæ nunc phantasmatum, representantur recordari memoria.n.indiget siccitate cerebri, qua nunc caret; ita etiam acuties intellectus, & rectrices facultates obtunduntur à frigidiori & humidiori intemperie non sine materia; qui quidem affectus cum iam sint antiquati; (præterierunt.n.duo anni ex quo cęperant) nec per vnum annum, & vltra aliquod pręsidium efficax fuit illi adhibitum; nec hucusque adamussim ea, quæ ex vsu erant poterint administrari ac exhiberi, quia ipsę ægrotans renuens non putauit se ægrotare; nec is est, qui possit mandatis alicuius ita obtemperare; sed potius industria,

&

& medicorum, atque coniuntorum aliqua presidia, quæ narrabunt fuere adhibita; meliori interim victus regimine vsus quantum fieri possibile est. Cum igitur morbus sit iam in capite confirmatus per essentiam, qui suapte natura admodum difficilis est, non possumus nisi admodum, de euentu timere, & eo magis cum à præsidiis etiam ex arte adhibitis nihil iuuamenti susceperit, quinimo affectus in dies rebellis magis euadit.

De affectu, loco affectu, & causa.

VIDIMVS *relationem earum affectionum, quas patitur nobilis ille vir, quibus recte perpensis dicimus referendas esse ad melancolicam affectionem per quam principes lesę sunt facultates, & quoniam metus, & mestitia quantum ex relatione constat non adsunt, ideo notha potius quam exquisita melancholia esse videtur. quamuis metus, & mestitia non sunt necessario iuncta melancoliæ, vt in Democrito ait Hypp. in Epistolis, qui omnia ridebat. Locus affectus, vt recte dicitur in relatione cerebrum est, & per essentiam, cum diuturna adeo extiterit affectio, patitur quoque cor per consensum, vnde totus sanguis male afficitur. Causa affectionis intemperies est non simplex, sed composita ex abundantia, tum bilis, tum pituitæ; Nam memoriæ læsio, somnus, stupor illę pituitæ sunt, sed iracundia complexio calida, causa quæ malo dedit originem. s. sollicitudo, quæ cerebrum extorrent atræ bilis indicia sunt, est enim sollicitudo, & cura potissima melancolię causa, vnde studiosi omnes melancolici, & Abderitæ scribentes ad Hyppocratem dicunt insanire Democritum præ nimia sapientia accessit suppressa euacuationis nares; Nam sanguineũ, & biliosum corpus cessantibus euacuationibus melancholicum fit 6. epid. igitur affectio-* Hypp. *nis causa intemperies est multiplex, eam peperit humor potissimum atrabiliarius; inde vero & phlegmaticus in sanguine abundans, atque in cerebro maxime.*

An medicus in hoc malo quidquam facere debeat.

MORBI *natura pertinax, diuturna, composita, causa quoque morbi similis, ætas iam senescens, remedia quoque secundum rationem adhibita parum, aut nihil iuuantia, insanabilem fere affectionem ostendunt, quinimo processu temporis timor est ne in mala ea, incidat, de quibus Hypp. 6. aph. 56. scripsit, veruntamen remedia experienda esse putamus, & repetenda, & illa quidem generosa, quo mali radices eluantur, quibus si non cedat affectio, ad lenem, & preseruantem victus rationem diuertendum.*

Quid

Quid agendum.

CVRATIO tempus sit opportunum, quale iam vernum appropinquat expetitum adeo ab Hypp. ad difficillimas ęgritudines remouendas secundo prędictionum, quare ad initium proximi Aprilis cum iam tempus dulcescere incipit ineunda curatio est, atq; in primis cum princeps animę facultas læsa sit, per contrarias animi passiones auxiliari debet, iuxta sententiam Hypp. 2. epid. sect. 4. scribentis, & monentis nos, vt curemus in passionibus animę contrarias inducere; at conuenit hic succos effundere, & lętitiam inferre; quamobrem obseruandum in primis est, vt nobilis hic Vir per totum curationis spacium à negociis omnibus abstineat, & rebus omnibus, vt ait Celsus, quæ sollicitare eius animum possunt, nec vnquam solus sit, vel inter ignotos, vel eos quos contemnat, & negligat, quærenda delectatio ex fabulis, nugisq; & rebus, quibus, capi maxime sanus assueuerat, laudanda, si quæ sunt illius opera, & ante oculos ponenda, leuiter obiurgandus risus, & repetitio illa crebra, atq; deprauata immaginatio.

Pro euacuatione vniuersali.

ET quoniam vnà corpus ægrotat, & in corpore pręcipue sanguis, ideo eiusdem Hypp. consilio corpus quoq; curandum. Approbamus itaq; sanguinis missionem, quam proponit Excellentia vestra ex iecoraria destri brachij primum, postridie vero ex interna sinistri ad ℥ vij. pro vnaquaq; vice, & sanguis detrahatur eo magis, quo nigrior apparuerit: misso sanguine leuiter purgetur pruis præparato corpore. præparabitur corpus syrup. de pomis admixto fumoterrę vel de radicibus, purgatur vero per medicamentum Tralliani ex hiera, & epitimo datis ex sero lactis vel aqua mulsa, cui addi potest tantundem agarici, & raubarbari; à qua purgatione transactis tribus, vel quatuor diebus conueniens esse putamus remedium, quod Eccellentia vestra proponit de hirundinibus ano affigendis, qua ratione non solum vacuabitur humor, & reuelletur; sed impelletur natura quodammodo ad excitandas hemorroidas, quorum aduentu hic morbus sanari solet, vt ab Hypp. notatum est; quo etiam remedio ad pręcautionem per vnam, vel alteram hirundinem singulo quarto mense ad ℥ iij. vel ℥ iiij. educere conuenit. Facta itaque, & repetita supradicta præparatione, & euacuatione, si morbus non cessat ad generosa magis veniendum putamus præparantia, & euacuantia. Nam melancholicos vehementius purgandum esse per inferiora scripsit Hypp. quare rursus præparandi sunt humores ex iure galli veteris alterato per radices cichorei, appij, petroselini, & feniculi incoquendo epithymum, & polypodium addendo aliquid

Lib. 1. cap. de melancolia.

6. Aph. 21.

4. Aph. 9.

sacchari in colatura, denturq; in syruppum per quinque vel sex dies; terget enim, & incidet, atque expurgabit, ac roborabit, cum sit alimentum, & medicamentum ab hac præparatione ad elleborum nigrum confugiendum est ad quem vniuersa antiquitas, & in primis Hypp. acutorum pro hoc morbo sanando occurrebat; præparatur ex mente Hypp. & corrigitur per daucum, cominum, & anisum in hunc modum. ℞ radicum ellebori nigri detracta medulla ʒ ij. feniculi, dauci, cumini, anisi, an. ℈ 5. minutim concidantur omnia, & in puluerem redacta, infundantur in vnciis duabus oximellitis per horas 24. & exhibeatur in aurora, & post potionem ptissana sorbere oportet ex precepto Hypp. præcitato loco. Quo medicamento si melius habet eger bene est sin minus interpositis diebus aliquibus, facta eadem purgatione purgetur iterũ per eundem elleborum, & tertio si opus fuerit repetatur, quia difficillimi morbi è quorum genere hic est medicamentis non ita facile cedunt, poterit etiam commodissime purgari per hieram pachij à Scribonio Largo descriptam, ex secunda descriptione dando eius ʒ ij. cum vino, aut mulsa, aut in bolo, quod medicamentum laudat ad miraculum vsque proinde recte scripsit Celsus mirandum non esse si quid in morbis longis non statim profuit, quia profectus tempore expelletur. In hoc vero progressu obseruandum maxime putamus quod præcipit Hypp. 6. epid. contraria paulatim adhibenda est, & inter quiescendum, interponenda esse ispatia intermedia, vt iterum virtus refecta morbum superare possit.

In Epistolis.

De attemperantibus, & roborantibus.

FACTIS prædictis euacuationibus corrigenda est intemperies, & totius corporis, & capitis, fiatq; primum per balneum aquæ dulcis potabilis incoquendo alteam, maluam, violam rosam, stecadem, betonicam in quo ieiunus hora iaceat per decem dies, aut duodecim, quo etiam tempore lactis serum conuenientissimum putamus ad sanguinem, & iecur temperandum, sitq; caprinum, & optime depuratum, quod calidum assumat per dies viginti singulo quoque summo mane ad mensuram 40. vnciarum solebant enim antiqui dare, & lac & serum in maxima quantitate præcipue ad purgandum, quo tempore etiam approbamus ducciam ex aqua Villensi, in qua coquatur camomilla, altea, viola, sticadas, saluia, ruta, & betonica, fiatq; duccia abraso syncipiti, toto etiam tempore purgandum caput est per nares, quoniam eo vergebat natura, fiatque herinum leue, quale est hoc ℞ foliorum bete, brassicæ recentium an. m. 1. affunde, aquæ bettonicæ, vini albi an. ℥ ij. & expressus succus per nares trahatur prono capite, & altius subeat, vel hoc aut, quod habet aquæ ordei ℥ iiij. sacchari, succi betę an. ʒ 1. misceantur, & trahatur per nares validissimum est quod ex

succo

succo ciclaminis, aut elaterio fit, sed hoc non trahatur non per nares ne ledat valde cerebrum. verum tortum linamentum eo succo intinctum naribus imitatur quibus remediis si non cedit morbus nil amplius tentandum est; sed leniter tractandus, quo quantum fieri possit morbus non augeatur.

De leni curatione.

CAVTERIVM, *quod proponitur ab Eccellentia vestra, tunc temporis approbamus in brachio sinistro, quod ad apertum seruet purgetur bis in anno, Vere, & Autumno per pillulas de lapide lazuli, vel de bolo armeno, interim tamen ab vno quoque mense leniter ex hiera, & raubarbaro, clysteres vero per interualla & acres, qui & reuellendo, & vacuando plurimum possunt; victus temperatus ex media materia, potest vinum rubrum tenue dari, aliquando etiam & aqua ex decocto passularum addito sacchari vitanda sunt omnia vina grandia, & aromata, & salsa, & acria sanguinem inflammantia; frictiones dorsi, & arctuum quotidie panno aspero quinquagies, ambulatio, vectio nauigatio, mox in vrbe, mox in agro, & ex agro in vrbem peregrinationem citoq; & regionum mutationem magnam vim habere in hoc morbo recte notauit Celsus hæc nobis occurrunt ad confirmationem eorum, quę proposita sunt ab Eccellentia vestra. Adsit Deus Opt. Max. vt prędicta remedia virum hunc ingenium ita adiuuet, vt integram consequatur sanitatem.*

Addictio.

SI *Morbus, vt pertinax non cedat prædictis remediis ad antimonium exhibendum veniendum est, vt censeo curando tamen vt illud sit optime præparatum, & bene præ humectato corpore cibo, & quiete, darem primo illius grana tria in puluerem redacta cum sacchꝫro rosaceo; inde interposito mense grana quinque, deniq; interposito alio mense grana septem. Cęterum quæ sit antimonij vis, & qua cautione dari debeat ex Mathiolo in suo Dioscoride f. 837. petendum nec. n. quod validum sit remedium ab eo abstinendum; cum in extremis morbis extrema remedia conueniant.*

Consultatio tertia pro lapide vesicę Historia, & proponitur remedium singulare, & admirabile ad pellendos renum calculos, & arenulas.

VIR *ætatis annorum 55. natura boni habitus ad calorem tamen declinans, cum multa, & varia comedisset salita scabie laborauit anno ætatis suę 14. qua per annos tres laborauit, denique aqua cinæ radicis as-*

sumpta exudando: conualuit vsque ad annum xx. ætatis cum apud Belgas degeret frigidam regionem aromatibus aliisque calidioribus vsus, hepar valde incensum est, anno ætatis 30. ventris doloribus laborauit qui tamen non calidis, sed temperatis imminuebantur; verum superueniente alui fluxu insigni liberatus est, secessere tamen capitis calores cum reumatibus quibusdam, qui ab sternutamento incipiebant, & à cibo veniebant, vomitum inducebant cum facilitate, anno 40. rediens ex Belgis quartana laborauit per menses, qua sub lata renum dolor apprehendit, & hoc tempore reumata, & vomitus cessarunt anno 52. ætatis persentit quasdam pudendi alterationes insuetas, cum frequentia vrinæ, & magno ardore ex impetu mingendi; cogitur simul, & semel aluum exonerare, torquet quasi durum quidam, & asperum circa perineon, non potest equitare, & curru difficile vehitur, adeo vt ex motu vrina turbetur, & sanguinolenta fiat; vix sedere potest ob dolorem neque diu stare potest, quin posituram mutet, non valens in vno situ permanere.

Quis affectus.

VIDI relationem ex libro Excellentiss. Doctoris Sanchi in quo etiam vel vt multa alia docte, & accurate attingit, morbum Domini Didaci Enriches, & cum eo sum eius opinionis vt putem eum habere in vessica calculum, eumque esse vnum, mobilem, & spinosum, & non paruum, quod lapis adsit tum precedentia, tum consequentia signa manifeste ostendunt; nam & eius natura plus nimis calida, atq; inordinata viuendi ratio, quartanæ quoque præcedentes quibus hunc morbum, & alios vesicæ succedere expertum habeo dolores ad renes, & hypocondria, cessatio illa vomitus omnem materiam ad vasa vrinaria accommodarunt, & ad generationem lapidis promptissimam præbuere occasionem. Dolores autem illi renales, & colici, qui precessere, ex arenulis per angustia vasorum ad vessicam delatis. Cæterum præterita signa, quæ anno 92. se prodidere in casu nostro, idem præseferunt. s. membri alterationes, vrinæ frequentia, sub cruente, pruritus ille, & ardor tam in collo vessicæ, quam in præputio manifeste præsentiam lapidis indicant iuxta Hypp. doctrinam lib. 4. de morbis signa huius affectionis tradentis, ita ad verbum scribit. Vbi me ire vult dolore affligitur, & vrina paulatim fluit, vel vt in vrinæ stillicidio, & interdum sub cruenta, nimirum vessica à lapide vulnerata, & inflammata, quod indicat summa præputij pars, tandem quandoq; mingit arenosa hæc illæ. Et quamuis non ante apparuerit arenarum. s. lapidum & frustulorum excretio non obstat, cum hoc signum non sit necessarium hæc igitur lapidem in vessica manifesta coniectura demonstrant, id quod & tactu experti medici, & instrumento magis confirmari poterit. Quod vero sit vna, & non plures probabile

babile est, tum quia raro in vessica multæ generantur, tum quia nusquam expulit aliquam quod fieri solet, vbi plures creantur; Quod vero calculus non adhereat vessicæ, sed vagetur in ea, manifestum est ex doloribus raro enim adherens afficit, iidem continui dolores lapidem demonstrant angulosum, & spinosum nequaquam verò lenem. Concludo itaque adesse lapidem in vessica, eumque esse vnum, mobilem spinosum, & non paruum quod est fundamentum totius negotij; tantum.n.erramus in curatione, quantum in cognitione, vt scripsit Gal.2.ad Glauc. & sicuti in legibus ex facto ius oritur, ita nobis ex ruta morbi cognitione tota medendi ratio petenda ad maiorem tamen certitudinem, si veniendum est ad functionem manibus experti chirurgi tum extra, tum intus per iandullam l. siringam tactu perquirenda, cum magna tamen præmeditatione, me vessica exagitetur quæ facillima est ad inflammationem concipiendam, & præcipue in casu nostro.

An agendum, & quid agendum.

CLARVM est, & experientia confirmatum non posse vessicæ calculos vlla potione, vel medicamentiui alteri, aut dissolui tam propter eorum duritiem, quam membri naturam, ita vt non sit vllo pacto torquendus æger aliqua potione ad hunc scopum, aut quæ poßit vllo pacto vrinam mouere, cum hæc omnia materiam ad vessicam trahũt, & malum augeunt, nec obstat quod scripsit Hypp.6.epid.1.vtendum cum diureticis in calculosis; loquitur.n.de calculis renum; nec habet locum in casu nostro non defuere tamen, qui aliquos vesicę calculos, moles si licet, & tophaceos dissolui posse sperent. verum hi ex se in arenulas dissoluuntur, sed infra remedium Adam quo quidam se dissoluisset affirmauit mihi; durus tamen ni fallor est, qui proponitur nunc, vt fere solent esse omnes vesicæ semota igitur hac cura duo se offerunt Medico facienda; alterum quod tutum est.s.morbum eiusque seuitien lenire, & si non succedat alterum dubium, & periculosum, quod lectionem concernit, nec fortasse prima intentio frustrabitur si quæ subscribo forti animo obseruet.

De ratione leniendi malum, & eius symptomata.

DVO pręcipue facienda sunt pro assequendo hoc scopo, primo ad victus rationem pertinet, secundum ad reuulsionem materię, quę ad vessicam fluit, quod pertinet ad primum necesse est accuratissima victus ratione vti, ad quam denique recurrit Gal. veluti ad sacram anchoram in peßimis morbis, ad quam etiã Asclipiades omnem curãdi rationem trahebat spretis medicamentis; ideo quasi à cęlo dimissus pro salute humana (referente Plineo) iudicatus est; duplici autem ex causa iudicauit Hypp.4. acutorum Lib. de extenuandi victus ratione.

exacer-

exacerbari vrinæ difficultates, dolores, reumata, & spirandi difficultates tum ex vehementi motu tum etiam ex crapulis, & cibis flatuosis; quamobrem rite sane consulit tibi per quietem, & in lecto; nam quamuis Hyp. 6. epid. non quiescendum esse calculosis percipiat; id tamen non intelligit in casu nostro, nec in accessionibus, & doloribus vrgentibus, poterit tamen leniter ambulare cum minus affligitur. Quod pertinet ad alimentum; volo vt semel in die comedat, ita vt vel solum prandeat, vel solum cenet, magis tamen mihi probatur, vt prandeat propter dolores, qui augentur ad noctem, vt scripsit Hyppoc. 4. acutorum, sed paulatim assuefiat, ita vt intra mensem consuetudinem acquirat semel edendi in die, atque in prima septimana ita procedat, vt prima die detrahat sextam partem cenę, secunda quintam, tertia quartam, quarta mediam, & sic quinta duas partes, & nõ cenet septima. Rursus edat ter duabus diebus, & ita denique paulatim cęnam ammittat. Cibus non transcendat ℥ xij. nec potus ℥ xiiij. vt in primis assumat cibum leniens aluum, vt ℥ ij. vuæ passæ, aliquando vero septem, aut octo pruna cum beta, aut spinachiis cocta, & cum oleo, & sapa mox parum carnis, vel capi, vel pulli, aut columbi cum offa panis in pauca quantitate, & pauca scutella; carnis vero edat ℥ iiij. & caro sit auium, boni succi, & incipiens à passerculo non transcendat caponem. si fastidierit carnis edat saxatiles pisces ad ℥ 6. ex albo iure elixos, quod erit illi optimum medicamentũ; panis vero bene formentati, & eiusdem diei non transcendat ℥ 6. vinum vero sit rubrum subausterum, paruũ, & bene aquosum bibat. Nam album vinum facile ad vessicam venit, & merum magis eam lędit quam aquosum ex sententia Hypp. lib. acutorum 3. & in hac victus ratione fortiter persistat per quadraginta dies, quos sane tempore singulis decem diebus, vomitum procurat ad recuperandam pristinam naturæ consuetudinem, & reuellendum ex vessica. Vnde Gal. magis approbat vomitum in morbis partium infernarum, quam alui fluxiones; fiat autem in hũc modum, vt iubet Hypp. varia comedat, & multa vt repleatur, & non bibit, nisi ad finem pastus; deinde afferantur illi in potu tria vina permixta austerum, dulce, & accidum, & bibat paulatim primo deinde citius, & multum, aut si noluerit bibere vinum assumat potionem aquæ mulsæ ex decocto raphani, & digito immisso, seu penna euomat, à vomitu roboretur ventriculum, & cerati, quod recipit oleum nardinum, & mastichinum cũ pauca cera, aloe, & mastiche, postea dormiat, & hoc est illud, quod Hypp. appellauit 6. epid. 1. attenuare. Quod si morbus lenitur in eadem victus ratione perseueret, & constanter tolleret legem hanc pro vita producenda. Nam multi qui pessima sanitate fuerunt affecti hac vsi constanter, diutissime vixerunt; procuret quoque bis in septimana vti clysteri ex puro oleo, foueantur pudenda, & pecten quotidie ex camomelino oleo, vt iuxta Hyp. sententiam loco citato fiat emollitio, & dolores sedentur; verum si intra

dies

dies quadraginta perseuerauerint dolores . . . . non obstante tali dieta ad sectionem veniendum esse puto, quia malum non poterit ferri diutius, vbi.n.salutis via est, quamuis dubia ex sententia Gal.10.meth.necesse est aduersus pericula ire, fit igitur sectio cum infrascriptis cautionibus. Volo tamen narrare hic remedium, quo narrauit mihi quidam se dissoluisse in se ipso vessicæ calculum in arenas. cum iam incidendus esset, & ipse per interualla eo vtitur quo tempore mirum est quantas expellat arenulas ℞ radicis corticis lauri tenuissime triti, & cribrati drac. mediam raubarbari etiam puluerizati drac. vnam misce, & sume cum vino. vidi ego post assumptionem medicamenti plusquam vnc. duas arenularum emisisse, ideo ad renales calculos puto optimum remedium, & mirabile secretum.

Cautiones in sectione obseruandæ.

PRIMO quod si fieri potest, fiat tempore veris quod Hypp. aptissimum iudicauit præcipue mense Maij. Secundo quod fiat sanguinis missio ex vena poplitis, vt docet Hypp. 6. epid. ad prohibendam inflammationem. Tertio perquiratur tactu certitudo lapidis in vessica à Sectore perito, & experimento celebri, cum desteritate ne fiant dolores. Quarto trahatur calculus ad collum vessicæ. Quinto fiat sectio in perineo ad desteram, vel sinistram partem declinando, lineam quærite procedit; plaga fiat amplior ex sententia Celsi, quia timor est ne grandis sit calculus, inde digitis, aut forfice extrahatur, & si grandis fuerit perscindatur, & si contigerit frangi partes extrahantur per & si aliquod frustrum remaneat non diu perquirendum ne vessica inflammetur, quia ex se ad incisionem veniet ex sententia Celsi, & ex illa agitatione inflammari potest vesica, & distendi, & sanguis, qui ex sectione venit, permittendus, vt veniat nisi in magna quantitate exuperet, quod si contingat pessa oxicrato imbuta applicetur, & cucurbitæ pectini, & inguinibus; post duas horas ab extractione vulneratus locus, & pudenda, & pubis ex oleo calido ex lana foueantur, & leniſsime ligetur; quamuis Celsus nullam admittat ligaturam, & cum hoc oleo quotidie vsque ad quartam die foueat partes prædictas ad euitandam inflammationem, quod intra hoc spacium solet succedere, quod si vehementiſsime rursus vigeat dolor poterit vti balneo, seu insessu quo vtitur Celsus quotidie, atque per totum hoc tempus, & vsque ad septimam tenui victu vtatur & aquæ potu, & denique paulatim ad sanitatem perducatur, cætera, quæ ad hanc operationem pertinēt tum Peritus Sector, tum Periti, & Excellentiſs. Medici Astantes considerare poterunt. Cęterum modus ille extrahendi lapidē flatu per canalicū dilatando penem, & attrahendo quo in Aegypto asserit calculos à vesica extrahi solere, Prosperus Alpinus lib 3. de antica Aegyptiorum medicina c. 14. immaginaria potius cēseri debet quā realis.

Con-

Consultatio quarta procurandis polypis Historia.

VIR ætatis annorum 40. temperamento calido, & sicco, iam per annos carnes excrescentes intra nares habet albas, & molles, quæ per interualla inflammãtur, & ideo respirationem valde impediunt; nec quam uis hactenus recte à Medicis tractatus sit malũ cessat; quæritur an venien dum sit ad carrũcularum extirpationem, & qua ratione malũ leniri possit.

Discursus.

CVM ægrotantis naturam, atque morbi, quo afficitur perpenderim, & curationis difficultatem, breuiter, quæ mihi occurrunt exponam, & in primis quam facilem, & tutam proponam; secundario vero dubium & difficilem: & quoniam huiusmodi carnes, quas polypos appellant Medici, secum capitis imbecillitatem anexam habent, quę fouet eos, oportet, (vt recte monet Gal.) prius caput siccare, & roborare tanquam mali fontem, & quamuis ob dispositionem antiquitatam, & pertinaciam impossibilis videatur eius extirpatio, nihilominus si infrascriptum viuendi modum seruauerit magnam intenti partem se consequuturum speret.

3. per loca.

De capitis exiccatione.

VT caput exiccetur totum corpus exiccare oportet, quę tamen exiccatio præcipue ex victus ratione pendere videtur; qua sola vt dicebat Gal. pertinacissimi morbi sanati sunt. Quamobrem non mirum est si qui ad oraculum accedebant Esculapij sanarentur auxiliorum quadã inaudita lege, & fide, cum alioquin sanari non potuerint, vt si iuberetur quis per totum annum non bibere, & alia huiusmodi. igitur eo reducere oportet in casu nostro corpus, vt semel in die cibum assumat, ita vt cibus non transeat ℥ 15. & potus totidem, ac paulatim fiat mutatio incipiendo à diminutione cęnę, ita vt prima die quinta pars detrahatur, secunda quartam, tertia dimidia, quinta partes duæ, sexta tres partes, septima sine cęna: & postea comedat ter singulis duobus diebus, ita vt spacio mensis paulatim semel in die comedat in meridie: prandium igitur incipiat ex aliquo, quod leniat aluũ, vt vua passa, vel prunis, aut cerasis cõditis, vel oleribus coctis, qualis est beta, spinacium cum sapa; hinc caro vt plurimũ assa, aliquando elixa ex peniferis auibus boni succi, quæ non transcendat caponẽ, vt pulli pernices, columbi; si fastidierint carnes ad pisces saxatiles transeat assos, aut ex iure albo coctos qualis longatus. nec quantitas seu carnis, seu piscium vncias quinque trascendat; panis vero sex, qui sit recens;

Lib. de attenuante victus ratione.

6. Epidem. Galen.

vini

vini vero pauciferi calices duos bibat, qui ambo ℥ x. vel xij. non transcendant; aliquando loco vini aquam bibat, & in hoc victu perseueret per dies 40. quo tempore (vt reor) catharrus resoluetur, atque polypi imminuentur, nec huiusmodi viuẽdi norma, quanuis ardua videatur omittenda quia per assuetudinem postea non sentitur, & est verum fundamentum sanationis Card. mentionem fecit cuiusdam Aloysij Cornarij nobilis Veneti, qui cum ætate annorum 36. a medicis pro deplorato relinqueretur, ob passionem stomaci, quæ eum consumebat; statuit vt quotidianus victus non transiret lib. 12. vnciarum, & potus ℥ 15. quẽ modum viuendi perpetuo obseruans annos viuit 96. omnibus exemplũ prębens magnę tẽperantię, & prudentiæ quater in anno purgabitur pillulis ex hiera pachij ad ʒ ij. quæ sunt admirabilis virtutis, ℞ autem sticadis marrubij camedrios agarici colocynthidis an. ʒ x. opoponacis sagapeni, seminis petrosellini, aristolochiæ rotundæ piperis albi an. ʒ v. cinamomi, spicę nardi, myrrhæ polij, croci an. ʒ iij. & si noluerit accipere in formam pillularum, assumat cum mulsa, singulis quoque quindecim diebus ʒ 1. pillularum de tribus, aloe. s. raubarbaro, & agarico expurgetur. Card. de sanitate tuenda.

Ad localia remedia.

TOTO corpore exiccato caput exiccandum, & roborandum quod commode fiet per embrocha ex decocto radicis cinæ abraso syncipiti quotidie bis, lotionis quoque ex maluatico vino, cui incocta sint betonica, saluia, rosa, sticas, crura fricanda erunt & brachia quotidie ieiuno stomaco in lecto panno mediocriter aspero spacio partis quartę horæ assiduus illi sit vsus mandendi masticem.

Polypotum cura.

MEDICAMENTA polypis conuenientia ait Gal. composita facultate sint oportet, vt. s. reprimant, siccent, & attenuent; sed quia eiusmodi pharmaca eodem teste, quę carrunculas consumandi vim habent irritare consueuere, & conuocare fluxiones, vt contingit egro nostro ex admotione aluminis, & sulphuris (quamuis moderata) ideo illa medicamenta admouenda, quæ sine morsu eiusmodi carunculas consumere valeãt, quibus paulatim adhibitis natura prędicta ratione victus adiuta intentum assequemur nostrum. Gal. inter omnia medicamenta laudat mali punicorum succum, qui fit ex triplici genere eorum. s. dulcium austerorum, & accidorum, & cocto succo ad tertiæ partis consumptionem, & reseruat in frequentem vsum; quod si polypi erunt molles, vt in casu nostro maiorem partem austerarum mittit, & ex corio malarum punicarum turso, penicilla efficit, 3. per loc.

quę in nares immittit, prędicto imbutas succo; quod si ferre non poterit tentas, vngantur nares, & attrahatur frequenter succus. Secundum medicamentum, quod paulatim & sine morsu siccandi vim habet constat ex puluere rosarum siccarum cribrato, & in nares insufflando, quo medicamento (recitat Gal.) se curasse Eunucum cui omnia alia medicamenta irritationem efficiebant. Tertium medicamentum sine morsu consumans dyphriges est, sed difficile est diuinare, quod vere tale sit methalicum, cuius multas spe-
Lib. 5. c. 79. cies adducit Dioscorides, sed eius in locum poterit vti tutia, aut lithargirio, vel pulueribus plumbi; immo potius puluis illæ qui ex vasis ęreis dum malleo dilatantur excidit, vtpote exiccans insigniter sine morsu esset accommodatissimus sic ad miscendo illum vnguento litargirij, aut tutiæ, vngantur polypi quotidie sic vt vnguenti sit ℥ 1. pulueris vero ʒ 1. & paulatim augenda dosis istius pulueris, quoad ipsemet puluis primo lotus mox sine lotione insuffletur. Cęterum medicamentorum modus est, vt nunquam pars sine eo sit, vel per tastam, vel vnctionem, vel insufflationem, vel attractionem. quamuis penicilli vsus sit difficilior, & ideo non debet esse continuus, sed inter mediet dies, at si mouet, alteretue, & catarrum procuret remoueatur medicamentum quiescat æger, & vnius diei abstinentia vtatur;
Lib. 1. c. 52. Scribonius Largus pastillum officio ad firmandum fluxum, & catharrum quando excitatur; habet autem seminis appij ℥ iij. aneti ℥ iiij. seminis alterici ℥ iij. opij ʒ 1. fiant pastilli dosis ʒ 1. inde vero lenientia naribus admouenda, quale est rosaceum vnguentum, & de tutia, & album de litargirio quibus ita progredientibus blanda cura poterit sperari polyporum consumptionem.

De secunda cura eradicatiua.


SI vero morbus non cedat & necesse sit venire ad curam totalem, quæritur an id faciendum sit vel potius supradicta curatione contenti morbum mitem reddere. Celsus scribit polypos eos qui sunt de natura cancri non esse attingendos, sed cum in casu nostro sint albi & molles neque scirrosi poterunt curari, & quia vel ferro vel igne extirpari possunt conuenientior esse videtur ignis non sane caustico, sed actu tali. Nam cum probabile sit adherere carrunculas colatirio ossi vix radicitus extirpari ferro possent nisi abscisso naso. Hypp. igitur sententia est, vt igne curentur omnes enim (ait ille) vrere oportet, adurantur autem aut immissa fistula vsque ad radicem polypi; sit vero argentea vel ex penna facta, & sic ter quaterue aduretur radix, vstis carrunculis puluere ellebori nigri vtitur quoad putrefactę cadũt, si verò præscindere sit animus purgetur prius corpus vel mitatur sanguis, & dicta vtatur per tres dies ante operationẽ, & si multus effluat sanguis oxicratũ trahat, & plantaginis succum per na-

res,

res, quę etiam fronti & syncipiti admoueantur modum secandi docet Celsus lib. 7. & Paulus lib. 6. Sed ad perscindendos polypos, forfex sit ex

FORFEX PRAECIDENS POLYPOS.

FORFEX CANVLATA
APERTA
PARTE DI DENTRO CIOE DI CANALE
PARTE DI FORI
PARTE APERTA
PARTE CHIVSA
FORFEX CANVLATA CHIVSA



calibe, aut ferrò rostrum habet canulatum rotundum, in superiori parte, hinc inde coopertum, latera omnia operculi, & canule acuta sint, vt præcidant apprehenditur canula polypus, & à superna parte præciditur, & est pulcherrimum instrumentum forma talis licet instrumentum non viderim, sed ex relatione hoc est poterit formari pro polyporum crassitudine for fex omnibus extremitatibus canæ acutus.

Consultatio quinta pro extirpandis carrunculis in meatu corinario Historia.

VIR annorum 40. cum longam passus gomorream esset ex gallico affectu in difficultatem vrinę incidit, itaut cum labore, & dolore, ac ardore mingat, vt necesse sit candela vti ad vrinæ liberum transitum. Cęterum candela in transitu prope vesicæ collum detinetur, & sanguine madefacta rediit.

Dignotio.

MORBVS adstrictio est, seu potius obstructio meatus vrinarij obstructionis causa caruncule sunt vlceratis partibus enatæ ex præcedenti errodenti gomorrhea, solet.n.concrescere caro prope vlcera; quia sicut ex bono sanguine caro gignitur, ita ex vitioso succo vlcus alente caro quædam spongiosa solet concrescere, quæ obturando meatus actionem ledit mingendi.

De primo Medici Scopo. An aliquid faciendum sit.

CERTE omne vitium pudendi, & magis in internis partibus, & homine iam ætate constituto difficilem, & laboriosam habet curationē; non tamen desperandum est quin, si adhibita Medici periti diligentia malum, si non in totum magna tamen in parte possit tolli; est autem necessarium auxilium quia si spernatur temporis processu coalescens, aut increscens carruncula vrinæ omnimodam suppressionem inducere poterit, & necessarium interitum.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

MATERIA, que influit auertenda, corpus attemperandum loca emolliienda, carrunculæ extirpandæ, vlcus detergendum cicatrix inducenda, & symptomatis occurrendum.

De

De reuellentibus, & deriuantibus.

LENI dato pharmaco, quale diacotolicon est ad ʒ I. cum bolo, aut cũ decocto senæ, postridie mittatur sanguis ex basilica brachij destri ʒ vij. sequenti die ex saffena pedis destri totidem; mox præparato humore ex adiantino syruppo, & cicoriæ cum decocto adianti graminis violarum, & acetosæ, exhibeatur purgans medicamentum, quale est quod ℞ syrup. ros. sol. ℥ iiij. electuarij rosati Mes. ʒ iij. fiat potus.

De attemperantibus.

VICTVS sit attemperans, & refrigerans, ex carne pulli, aut caponis, vel hędi cocta & alterata cum acetosa, lactuca intubo cichorea, & hordeo. Potus aqua sin minus vinum pauciferum, & imbecille; aquosum enim minus lędit (ait Hyppoc.) partes, quæ ad vessicam sunt grande vero mordendo offendit. Cæterum renes vngantur, & lumbi, & pudenda refrigerante Gal. cum succo sempreuiuę.

De emollientibus.

INDICATVR emollitio non solum ad mitigandum, sed etiam vt melius penetrent instrumenta, & vrina effluat facilius insessus igitur ad vmbelicum vsque fiat quotidie ex decocto camemeli, violæ, alteę, maluæ; inde vngantur partes pudendæ oleo camomelino, cum vnguento dialtheę; percipit. n. Hypp. vt post fomenta semper fiant vnctiones. Cęterum intra virgam per canalem siringa oleum amygdalarum transmittatur, & si pus aderit abstersiuum aliquod, qualis est aqua hordacea cum pauco saccharo, quæ omnia calida infundi debent, seu tepida; perseueret autem in hac emollitione per aliquot dies. Lib. de morbis mulierũ.

De carrunculis extirpandis.

EMOLITIS partibus extirpandę sunt carrunculæ, quę obstruũt & mali causa sunt; eius duplex est ratio, vel per violentam instrumenti immissionem; vel per medicamenta quæ carnem consumunt; prima tentanda est numquam cum violentia, sed leni manu. vt videamus si per medicamenta curari possint, igitur in primis vel maluæ, aut apij cauliculo tentanda penetratio oleo amygdalino imbutos si ita fieri nequeat cerea candela; si hæc non penetrat plumba fistula; fugiendus autem siringę vsus, nisi in magna necessitate, quo modo si breuiter tractando non fiat carrunculę extirpatio,

tirpatio, ad aliam curationem accedere necessitas cogit, quæ per medicamenta fit exedentia, qua sanè ingenij humani præstantia conspicitur, sed quod non faciat viuendi desiderium, modici igitur est qui sequitur.

Qua ratione consumendæ carrunculę in virga.

CERATVM fit duriusculum, quod candelæ agglutinatur ad eam partem, in qua suspicamur adesse malum, & si per candelam non potest fieri penetratio, cum lamina plumbea sed fere candela fieri solet; fiat vero candela ex cera, & resina lino contorto ne frigore rumpatur, & bis in die immittenda cum dicto cerato; altera mattutino tempore, altera vero vespertino immissa candela, membrum altius eleuandum, & subligandum, & teneat eam nocte, ac die, ac sedeat, vel iaceat per 15. dies quo tempore circiter eroditur caro signum est, quod via liberior se ostendit, & pus in maiori copia conspicitur, & poterit mingere sine ablatione candelę, quia sic melius abstersio fit nec per noctem detrahere candelam debet, nisi necessitas cogat, vel ob dolorem, vel mingendi necessitatem.

Cerati compositio.

HABET floris æris, auri pigmenti, vetrioli romani an. p. equales, puluerizentur subtilissime in mense Maij, aut Iunij, & aceto acerrimo excepta lapidibus porfireticis per horam agitentur, & in sole ardente exsiccentur & ista præparatio per decem dies fieri debet; Mox ℞ olei rosacei ℥ vij. pul. lithargirij ℥ iiij. tractentur in igne quo ad bene durescant; extracto ab igne postquam refrigescit adde prędicti pul. præparati ℥ iiij. postea igni lenti spatula agitando quoad valde durescat tractetur; quo cerato præparato vtendum vti diximus, & cum venit in vsu debet liquefieri, & candelæ applicetur ad partem cui carrunculę adhęreant aliqui in mucrone ponunt. Est & alius modus applicandi ceratum sic vt excipiatur linteo subtili admodum bambaceo latitudinis semi digiti, & inuoluitur fistulæ plumbeæ in modum torculi. inde extrahitur plumbum viceuersa, & relinquitur linteum, quod si ceratum præparatum non inueniatur poterit parari quodcumque tempore, lacuna componit ceratum libello quodam de extirpandis carrunculis, sed ego habeo simpliciorem cōpositionem, & faciliorem, & mitiorem quæ habet ℞ pulueris illius, qui exuatis æreis cadit cum ab igne maleo verberantur, in polinem tusi parum; agglutinetur ea parte candelę, quæ supra carnes esse debent, & fascicula inuoluatur ne in transitu alias partes tangat, & sic facile errodentur carrunculæ. est enim sine morsu valde siccans, & mirabile remedium ad omnia vlcera pudendi, & etiam absque eo quod teneat candelam, si bis in die cum hoc puluere carrunculę tangantur consumentur.

De

De vlcerum retentione, & agglutinatione.

EXTIRPATIS carrunculis, vlcera detergenda sunt, mox agglutinanda; dersio fiet per in vnctionem succi appij cū melle, & aqua hordei prius inde ex succo plantaginis cum eodem melle abstersis vlceribus ad glutinationem; destilletur hæc aqua ℞ aluminis crudi ℥ iiij. succorum plantaginis, portulacæ an. ℥ vij. agitentur simul & dissoluantur cum albumine ouorum reponantur in alambico destilletur aqua, quę siphone intra virgam iniciatur tepida.

De corrigendis symptomatibus.

CERTE si vrina supprimatur candela detrahenda, & rursus immittenda, vt aperiantur vię; sed idque diligenter fieri debet, & à perito huius operis magistro, alioquin ex agitatione flegmones, & cancri, & mortes excitari solent, si vrgeat dolor extrahatur candela, & anodinis vngatur pars intus, & extra interque, & fomenta sunt, & calido oleo amygdalarum, & vnctiones, & lactis inunctiones.

Consultatio sesta pro Nubecula sinistri oculi visionem impediente, & optalmia relicta, casus.

VIR annorum 40. gracilis cum multum scribendo laborasset, optalmia corripitur sedata inflāmatione nubecula remansit in sinistro oculo, quæ fere pupillam operit, & visionem magna ex parte tollit, alias se habuisse idem malum narrat per tres menses; denique sacchari albissimi puluere siccando deletam esse nubeculam.

De affectu, loco, & causa.

AFFECTVS, qui curandus proponitur symptoma est ad visionem imminutam pertinens, locus affectus sensu conspicitur oculus sinister; sed dubitatur an sit in humore aqueo, quo suffusiones fieri solent, an potius inter corneam, & vueam, qua nubecule, & quantum coniici potest malum est inter corneam, & vueam; afficitur autem oculus, & per essentiam, cum iam in eo permanens sit dispositio etiam per consensum, cum à capite originem per affluxionem habuerit, & nunc etiam licet magna ex parte sedata sit fluxione aliquid effluit. Cæterum morbus ad obstructionem, vel numerum excedentem referri potest, nubecula causa est obstructionis, quę ex vapore humoris crassioris est genita; causa antecedens capitis dispositio, & oculi debilitas.

De

De primo Scopo. An aliquid sit faciendum?

CVM malum adhuc recens sit, & prope superficiem oculi, imo aliquanto sit imminutum, & clauso oculo destro, clariorem sentiat visionem, certè sperandum est, vt si Medici periti diligentia tractetur facile dissipetur malum, & tota restituetur visio.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

CORPVS, & caput exiccandum, atque prouidendum ne quid amplius in oculum effluat, Nubecula resoluenda.

De prouisione totius, & reuellendo humorum fluxu.

NON curatur oculus (ait Gal.) nisi curato capite, & hoc nisi toto corpore, quare rectè à Medico primo loco tractatus, cum sanguis missus sit, & purgatum corpus, sed conuenit rursus valentius purgare pharmaco, quod à tertia corporis regione, nempe à capite attrahat; ideo post primum somnum noctis sequentis assumat has pillulas in maiori quantitate, quæ habent ℞ pillularum cocciarum, siue quibus an. ʒ I. s. cum oximelle formentur pillulę vij. aureatæ sumendę, vt dixi. Cęterum facta vacuatione ad reuellendum; quotidie fricentur crura, & brachia spacio quarti vnius horæ in lecto, ieiuno cucurbitulę ocipitio assiduę affigantur; & si perseuerauit malum cauterium; desiccabitur materia non per herrina seu nares ne commoueatur ad oculos ob propinquitatem, sed masticatoriis ex mastice & piretro denique si hęc non satis sunt per decocti ligni guaiaci.

De nebulę dissipatione.

4 Libr. per loca.

CVM oculi sint sensibiles valde, & mollissima substantia, oportet adinuenire remedia (ait Gal.) quæ innocentissima sint, & posteaquam ex puluere sacchari fricãdo oculum bene habet, ideo illo vtatur; non quidẽ saccharo candido, quia cum vitiosæ sit substantię non sine aliquo dolore abstergit, etiam si in tenuissimam puluerem redigatur; sed saccharum sit albissimum quod raffinatum dicitur vel madere, quo in tenuissimam puluerem redacto per interualla fricet pupillam cum palpebra superiori; sed ante frictionem balneo vtatur aquæ tepidæ qua camemelum, rosa, fenum græcum bullierint, quod est præstantissimum remedium; per spongiam mollissimam vtatur etiam aqua mulsa aquosa, quæ per vas angustum frequenter

in oculum

in oculum apertum inspergatur, quod remedium præstantissimum nouit Alexander, ad omnia ea, quæ in oculis continentur dissipanda. Cęterum mel paucum sit ita vt talis sit pars ad aquam, vt vix dulcedo censeatur, atque his remediis dissipatam iri nubeculam non est dubitandum.

De capitis, & corporis exiccatione.

INTERIM *tenui victus ratione vtatur, aquam bibat; fugiat lucem fumum, pulueres, odores, & si perseueret malum ad ligni sancti decoctum concurrat in quo procuret exudatione per interualla, & caput syncipiti raso embroca roboret ex eadem aqua, in qua malua, bectonica, rosa, camemelum, saluia sint incocta.*

Consultatio septima pro sanguinis fluxu periodico. Casus ex naribus, & gengiuis.

VIR *bonæ temperaturæ habitu crasso, ætatis 40. annorum ab ineunte ætate bis, aut semel in anno ad ætatis principium, & finem fluxu sanguinis è naribus corripiebatur magno, & valido; nuper autem sanguis relictis naribus per gingias effluit in tanta copia, vt in vitæ discrimen incidat cum puris symptomatibus.*

Dignotio.

AFFECTVS, *quem patitur, symptoma est præter naturam in genere excretorum immodice; excernitur.n. sanguis, qui secundum naturam retineri debet. Cum vero omnis hemorrhagia, vel ex solutione continui, aut anastomasi, seu orificiorum apertione, aut diapedesi, seu resudatione fiat, in casu nostro dicendum est, vel anastomasim, vel diapedesim causa esse fluxionis accedente sanguis acrimonia, & multitudine facultatem irritantem; & verisimile est adesse in capite, & venis eius naturalem dispositionem ex imbecillitate vasorum, cum ab ineunte ætate passus sit prędictum symptoma.*

Prognosticum.

CVM *hæc affectio tam diuturna extiterit, & perinde fere natura dici possit, difficillime erit remotionis; immo periculum est ne ex aliquo horum fluxuum, vel repente concidat, vel in cachexiam, aut hydropem, & malum corporis habitum incidat, calido innato debilitato; attamen non desperandum est, quia si recte adhibeantur remedia vel tollatur affectus, vel imminuatur, adeo vt raro, & non cum ea vi proueniat.*

Quid Medicus facere debeat.

DVO se offerunt facienda, alterum respicit symptoma ipsum, vt. s. sanguis iam fluens sistatur; alterum vero ad pręcautionem, vt prohibeatur fluxus, de quorũ vtroq; dicẽdũ est, & primo de pręcauẽda fluxione.

Ineunte Vere inde ad medium Aprilis semel in anno curet sibi sanguinem mittendum ex vena iecoraria brachij destri ad ℥ x. ita. n. minuetur sanguis ne sua copia irritet partem; deinde ad deriuandam materiam in brachio sinistro cauterium sibi faciendum curet, & continuo adapertum gerat; fugiat balneum, solem, exercitium, & quęcunque caput replere possunt, inter quę studia immoderata valde sunt nociua, & quo tempore fluxum expetat intermittat omnino studia, & omnem motum; & victu vtatur parcissimo, & potu quoque paucissimo. Victus vero ex his, quę incrassent sanguinem, huiusmodi est lactuca, cichoreum, acetosa, farrum coctum, oriza, & quę ex farina fiunt iura pedes vituli cocti, ita. n. sanguinem crassefacere oportet. Potus vero eo tempore sit aqua calibeata, vel si propter stomacum non poterit tollerare vinum nigrum astringens pauciferũ; pro pane vtatur biscocto, vt exiccetur sanguis, optimus quoq; illi erit cibus è piscibus saxatilibus assis, aut elixis, pira, cotonea, sorbę, mespilę.

De repugnando fluxu, & symptomate.

AVERTITVR sanguis ex sententia Gal. 5. meth. & clauso loco vnde fluit, & ad remota reuulsus, & ad proxima deriuatus; non curet statim sistere sanguinem sed post quam paulatim fluxerit iuxta doctrinam Hypp. 6. epid. sect. 3. ne. s. ex retentione fiat aliquod malum vbi modice fluxit; primum locum obtinet reuulsio quę duplex est; altera fit cum euacuatione, altera sine ea; prima fit secando venas ex brachio destro, & sinistro facta paruissima incisione, & singulis horis mittatur ℥ 1. sanguis, mox digito claudatur, vel linteo, & post alteram horam vnc. secunda reuulsio fiet applicando hypocondriis destro, & sinistro duas cucurbitulas amplas, & scapulis quatuor; deinde liganda extrema validius liganda, & fricanda. Quod autem pertinet ad gingiuas, seu nares facta reuulsione applicanda quę refrigerant & adstringunt, inter quę est succus plantaginis si ex eo colluatur os addito puluere aluminis, & gallę. qui etiam trahi potest per nares si ex his fluat sanguis. acetum quoque rosaceum si ex eo colluatur os, validam habet adstringendi vim. si his non cedat malum abraso syncipiti fiat embroca ex frigida aqua, qua etiam facies frequenter abluatur fronti vero, & temporibus adhibeatur linteum ex aceto & aqua rosacea, & hypocondriis quoque, ac testibus, atque his constitutis si non in to-

tum

tum, saltem magna ex parte sedabatur affecta quibus addat Deus Opt. Max. auxiliares manus.

Consultatio octaua pro elephantico morbo. Casus.

ADOLESCENS Nobilis Genuensis xx. annum agens iam per annos duos tubercula patitur in facie subliuida, labra crassa, nares intus subsquamosas, maculas quoque in reliquo corpore præsertim circa pectus cutiliginosas ac subliuidas, multis vsus remediis non cessit morbus ex guaiaci assumptione peius habuit, sero autem ebibito melius.

De affectu, parte affecta, & causa.

EX prædictis symptomatibus patet, affectum, quem patitur esse arabum, lepram, grecorum vero elephantiam; qui morbus communiter Sancti Lazari dicitur; pars affecta duplex Hepar. s. vt dispositionis origo; Cutis vero vt recipiens impressionem, in hepate non solum adest exardens intemperies sanguinem assans; sed indicibilis quædam pernicies, quæ sanguini communicata ad extremam corporis cutim transmittitur, & in primis ad caput, quippequod venenosum sit, & valde caleat; Nam huius morbi initium, vt ait Plinius statim incultu apparet, est autem contagiosus morbus frequens admodum apud Belgas propter potum Zythi, seu ceruesiæ, & casei continuũ esum que ambo crassum, & melancolicũ gignũt succũ.

An Medicus quidpiam agere debeat.

CVM hic affectus confirmatus est nullam admittit opem in principio difficilem, sed non impossibilem curationem. Cęterum in casu nostro iam prætergressum principium videtur non tamen vigorem adhuc attingit, ideo in augumento esse dicetur. quare summa prę difficultate, aut vix tolli posse dicendum, præsertim cum nullis remediis cesserit. tentanda tamen generosa remedia esse arbitror, antequam pedum ac manuum tumor superueniat, ac stupor cutis; diffidendum autem non est, quoniam Medico secundum rationem gerenti omnia; multa præter opinionem accidunt.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

MATERIA, quæ iam genita est vacuanda. Iecoris, & totius intemperies corrigenda; morbi malignitas, & cæca pernicies oppugnanda; & vitia cutis quæ præcipue afficitur delenda.

De euacuatione.

VACVATO aluo ex ℥ I. diacatoliconis, quæ in bolo, aut cum decocto senę sũmo mane sumatur, sequenti die sanguis mittatur ex vena basilica brachij destri ad ℥ vij. postridie ex interna sinistri ad vnc. totidem; sequentibus decem diebus mattutino tempore assumat seri caprini ℥ x. addito succo borraginis, & fumiterræ vcusque ℥. 5. sacchari ℥ ij. deinde purgetur per elleborum nigrum sic. ℞ corticum radicis elleberi nigri ℥ ij. anasi, feniculi, cinamomi puluerizatorum an. ℈ I. infunde in oximellite & facta expressione adde syruppi rosati solutiui ℥ iij. fiat potus pro aurora hinc hirundines ano affigant, & sanguis extrahatur ad ℥ vij. quod singulis duobus mensibus faciendum.

De corporis attemperatione.

QVO tempore corpus supradicto modo euacuatur, refrigerandum, & humectandum primo per alimenta ex carne pullorum, hedorum incoquendo lactucam cicoreum, acetosam, borraginem, quidem affirmat se curasse lepram solo victu; Exhibendo ptissanam & testudinum carnem; ptissanæ autẽ modus talis est hordeũ infundatur in aquam multam, xij. horis coquatur donec disrumpatur cribretur, coquatur cum iure pulli, vel testudinis donec non amplius ampullas mittat; quod post tertiam horam vix contingere potest; testudines autem in aqua diu coquantur, cum modico aceti albi, croco, & borragine; perseueret in huiusmodi cibo saltem per sex menses; interim poterit vti piscibus in cibis elixis boni succi, vt soleo aurata, & beta, & malua, & lactuca, & perseueret in hoc victu per sex menses; vinum sit album, lene, clarum sed aquam. bibere fortasse melius esset, sin minus transire à vino ad aquam & è contra; aqua verò paretur sic. ℞ liquiritiæ recentis ℥ 6. radicis tamarisci ℥ ij. passularum ℥ iiij. aquę lib. iiij. coquantur ad tertiæ partis consumptionem, coletur, & vtatur pro potu, extra vero attemperetur corpus balneo aquæ dulcis, quo insideat bis in die per horam, & si poterit a balneo exudet, post quam lectionem corpus vngatur ea ratione, quæ infra dicetur, eatque ad balnea ter malia, quę tamen refrigerandi vim habeant, quale est de aquis in agro Pisano, vel Lucense, quod non modo attemperat Iecur, sed cutis maculas dissoluit, & debet & omnia vitias cutis mundat.

Qua ratione a propria ſubſtantia ſit morbus impugnandus.

CARNIS viperinæ eſus inter cætera antidota præſtantiſſimum habetur; ea vero diuerſis modis parari ſolet. Gal. amputatis capite, & cauda ad iiij. vſque digitos, & exemptis interaneis in olla noua, coquatur ex aqua donec exquiſite molleſcant, addendo hordeum, anethum, porrum, & olei nonnihil, bibat in primis ius; deinde carnes ieiuno comedat ſemel in die, nec poſtea per horas 6. aliquid edat; immo poſt viperæ eſum prouocet ſibi ſudorem; ſumat autem per dies xx. carnes has. Quidam ita parant, quatuor, aut ſex gallinas nutriunt per xv. dies, viperis coſtis contuſis, farina, & furfure in maſſam redactis, cumq; id factum fuerit, occiſę gallinæ, & excuteratæ, atque deplomatæ coquantur iuxta morem, & ius illud bibat, & carnes edat, & poſtmodum quieſcat in lecto donec exciderint cruſtę nec ſolum viperina caro huius morbi eſt antidotum maximum, ſed vinum in quo vipera extincta ſit primam prærogatiuam habere videtur, & duobus experimentis confirmauit Gal. extinguitur ergo vipera, ſeu iniicitur viua in generoſo vino, vt emoriatur ibi extrahatur poſt triduum, quo vino vtatur familiariter in potu, & illius poculum ieiuno ſtomaco ſumat poſt allij ſpiculi æſum, & duret per dies xxx.

De cura cutis, & macularum.

AD cutem mundandam, & humores diſſoluendos, nil melius eſt balneo Ternali, quale eſt de aquis in balneo Piſano, & Villenſe in Liuenſe, ad quas ire debet menſe Iunij, in aliis temporibus balneum parari poterit domui, aut ire ad publica ex aqua dulci, poſt balneum affigantur cucurbitulæ, ſeu corunettæ xx. aut xxx. pro virium robore locis cutis affectis, & ſcarificentur in partibus tumidis deinde fiat vnctio hoc, quod habet. ℞ ſucci ocimaſtri olei, ceræ an. partes æquales fiat vnguentum quo poſt balneũ, & cucurbitas illiniri debet tertio die balneum redeat, & omnia peragantur præter cucurbitas vſque ad quinque circuitus in quorum vltimo rurſus applicentur cornua, ſeu cucurbitæ antequam balneum eat poterit aſſumere aliquid matiipanis, vel aliud quippiam ne deficiat, noctu vero vngantur maculæ calce extincta cum oleo roſaceo, & eſt remedium Hypp. ad lepram. Card. ponit vnguentum quo ait ſe liberatum à ſcabie, quam annos 26. paſſus erat quaſi lepra, ſine purgatione, aut balneo. ℞ ſulphuris viui ʒ ij. ſalis ℥ 1.5. lachrimæ iuniperi, qua vtitur bibliopole, elleberi albi an. ʒ ij. ſucci thyſimali ʒ iij. apponitur tota herba contuſa pondere ℥ 1. olei è ſemine lini ℥.5. terantur exquiſitiſſime inde coquantur ſuper cineres, donec

redigantur in formam vnguenti, post exprimatur, & reiecta fece inungantur statim detersa aqua, à balneo sub poplitibus, & interiora cubitorum, tallum, & iuxta corpos manuum, & sub alas, & plantas pedum, & loca omnia patientia, aere calidissimo, seu iuxta ignem post cęnam diu confricando loca, & copioso vnguento, inde ingrediatur lectum calentem, & tegatur pannis hoc a prandio, aut à cęna, & fiat alternis diebus donec ter fuerit vnctus.

Consultatio nona pro dolore coxæ cum varice in crure assurgente. Casus.

MARCVS ANTONIVS Gentilis Ianuensis, vt nobilis ita etiā virtute clarus, & mihi amicissimus cōstitutus in 26. anno ætatis suę, temperie, & habitu corporis gracili, & bilioso, venis latis, ex saltu quodā, crepitum quendam se sensisse ait ad coxæ summum, inde sequutus dolor est, & impedimentum progressus; post aliquot dies melius habuit sed cum malum spreuerit, & valido venando exercitio vteretur, dolor perseuerauit per interualla ad coxam iam per quatuor menses, & varix ad crus in parte inferna conspecta est, quam, vt comprimeret cerato adstringenti obuoluit pelle canina super alligata.

De affectu, parte affecta, & causa.

QVIS locus afficiatur satis ex dolore apparet, dolor.n. ad natem superiorem, & per totum femur ad genum vsque, vena quæ tumet in crure ramus est illius magnæ venæ quæ deorsum descendit, sed quis vere locus sit affectus in coxa, an articulus ipsę, vel potius tendines, & nerui, qui ad os sacrum sunt, an potius vena ipsa tumens, quæ eò proreptat, vt velle videtur Hypp. non multum ad curationem refert. Affectus symptoma est, nempe dolor ad actionem deprauatam pertinens, in varice vero morbus in magnitudine. Cæterum afficiuntur partes per essentiam, & per consensum, per essentiam ob diuturnitatem per consensum vero, quia verisimile est ex reliquo corpore, & maxime ex liene, sanguinem melancholicum in coxam, & crus influentem & coxæ dolorem, & denique varicem fecisse; occasio fuit motus illæ, seu saltus, vnde tendines coxæ passi sunt, & debilitati & perinde humiditates attraxerunt, videtur autem causa melancholicus, sanguis ex adustione, cum æger sit calidi admodum temperamenti, & venas latas, & subnigricantes habeat.

De primo ſcopo. An Medicus aliquid facere debeat.

HOC malum non lętale iudicauit Hypp. verum longum, & difficilis admodum remotionis, atque in noſtro ægro difficilior redditur, quod varix infra emergat, ad quam continuo ſanguis effluit; verum quia Iuuenis eſt, nec morbus valde antiquus, & varix nunc primum emergit, ſperandum eſt, vt ſi Medici diligentia opera vtuntur, & obediens ſit æger integram conſequatur ſanitatem, aut ſaltem morbi vnguentum prohibeat. 1. de morbis.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vſu.

IN primis prohibendum ne materia ad partem influat, ſecundo quæ in loco eſt euacuanda, tertio pars roboranda ne recipiat; varix ne amplius creſcat prohibendus.

De primo Scopo. Qui prohibet influxum materiæ ad partem.

HIC ſcopus multiplici ratione fiet. Gal. ait, iuuari coxēdicos magis vomitu, quā alui fluxu, proinde aliquando per interualla à cibo valde repletus eū procuret; purgetur quater in anno ex hiera, pachij an. ℨ ij. ſed pro nunc aſſumet leuiter ſyrup. de polypo. ex deſcriptione Montani, qui euacuat leniter humorem melancholicum ad iiij. cum iure pulli in defectu ℨ 1. diacatoliconis; poſt hanc lenem deiectionem procuret ſibi poſtridie mittendum ſanguinem ex vena talli externa iuxta præceptum Hypp. ad lib. 1. poſt detractionem ſanguinis, procuret, vt ſingulo quoque mane in lecto fricetur crux deſtrum, & tota coxa panno mediocriter aſpero per ſpacium denique horæ, vt reuellatur materia. Secundum ingenium prohibendi fluxionem ad loca eſt in exiccatione corporis, ideo vtatur ratione victus extenuante, ex aſſis pullis, columbis, exercitium mediocre non excedens, vt ambulationes, exarcebatur. n. ex valido motu coxę dolor, vt ait Hypp. & poterit vti ligni ſancti, vel potius eius decocto, vt hęc intentio in totum perficiatur, hac igitur ratione prima intentio optime fiet, & prohibebimus, ne materiam influat ad locum. 10. per loc. 4. Acutorum

De euacuanda materia, quæ in parte continetur.

QVONIAM vero veriſimile eſt, copiam adeſſe materiæ in loco, vt cauſam coniunctam, & in aliquibus venarū ramulis, vacuatur autē

&

& sensibiliter per cucurbitularum appositionem, quod remedium esse solet frequens Hypp. Item clysteria, quorum vsus maxime laudatur in hoc malo, quæ etiam sint acria dicebat.n. Hypp. fluxum materię ad coxam esse intercipiendum tum per ea, quæ intus adhibentur, tum foris calida medicamenta, foris autem vtitur Hypp. fomento quod æquam partem habeat aceti, & aquæ salsæ spongia admoto calido, applicantur quoque emplastra, quę per dies agglutinata maneant, quorum magna silua est apud Gal. x. per loca inter cætera vsque ad cęlum extollit, quod ex Hiberide, & axungia fit à Democrito versibus decantata, Dioscorides herbam cum helenij radice contundit, & illiuit quarta parte horę.

De his, quæ attemperant, & roborant.

INTER cætera, quæ siccandi, roborandi, & calefaciendi vim habent balnea sunt sulphurea, quorum vsum tempore opportuno non prætermittet, pro nunc, quia sumus in tempore vendimiæ eat ad vinacea, seu vini recrementa, in quibus sedeat bis in die per duas horas; quod si non cedat malum ad ignem veniendum, atque iuxta Hypp. doctrinam lino crudo intorto aduratur pars, quæ dolet, vt crustæ inducantur; id vero commode fieri poterit corda archibugij ignita; omni autem dolori coxendico, licet a causa calida fiat, ea, conueniant, quę calefaciendi vim habeant applicata, quia humor, qui ad partem confluit, crassatur, & frigescit, & pars sua natura frigida est, & exanguis ac ossea; ideo procurandum semper ne frigeat aut humescat, pedes calidi teneantur & sicris, & pellis agnina coxæ maxime per hyemem alligata deferatur.

Varicis medela.

INTERIM, quia varix est in principio vena constringenda, & humor depellendus ad partem superiorem. id vero commode fiat lamina plũbea subtili admodum composito succo plantaginis vel mali corij madida, & ligatura constringatur, quę ab inferiori parte procedens sursum vergat.

Consultatio decima pro puella epiletica, & balbutię. Casus.

PVELLA annum agens decimum octauum loquelam habuit impeditam, vt pauca admodum, & vix verba proferat anno 15. ętatis proxima epilepsia correpta est; accessiones tamen rarę, & per longum temporis interuallum risum quemdam frequentem habet fatuum; nec ex naribus, aut ore aliquid humiditatis effluit, menses tamen habere secundum naturam dicunt.

De as-

De affectu, loco affecto, & causa.

QVOD afficiatur cerebrum ex lesa actione tum sensus, & motus, tum ex loquela impedita satis apparet, quamuis in lingua quoq; malum esse possit, vel neruis illius, loquela impedita inter symptoma est, epilepsia inter symptomata lese actionis, & morbos in via reponi potest, affici vero videtur cerebrum per essentiam, cum ex nulla alia parte morbus nasci videatur; causa lenta pituita, & melancholia esse videtur retorrida in cerebro contenta, & venis illius; vnde mentis stupor; risus vero ex acredine vaporum mordentium musculos labiorum oriri videtur; impedimentum loquelæ ex eodem fonte promanat neruis lesis, qui ad linguam veniunt; dicebat.n.Hypp. lingue incontinentiam, & stuporem a melancholia fieri; quod vero nil ore, vel naribus materiæ veniat, ex humoris ariditate prouenire videtur, seu quod humores alio ruant intus; nam que foris sicca sunt, intus sordent, preter dictas, causas alia peculiaris in cerebro, ex maligna qualitate statuenda est; vnde morbus à tota substantia recte appellari pōt.

De primo Medici Scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

CVM origo huius mali ex naturali quadam dispositione esse videatur, nec ad menstrua cessauerit, immo ea sequutum est malum, & a cerebro ortum ducat, mensq; stupore quodam attonito teneatur frustratorium reor omne Medici præsidium; nihilominus quia Medico secundum rationem agenti multa præter opinionem contingunt tentare non erit inutile, & præsertim illis remediis, que si non iuuant saltem non ledunt.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

CORPORIS vitiosa constitutio in primis corrigenda, secundo cerebri, tertio malignitati, quæ huic malo semper associatur resistendum; & quia loquelæ vitium, risus, & fatuitas ab vna eademq; causa pendere videntur, ideo illorum vna cum morbo eadem erit procuratio.

De corporis preparatione.

QVIA Morbus præcipue est in capite, & sentitur in corpore toto, ideo illius habenda cura, & pro euacuatione leniatur aluus ℥ i. dia catoliconis, inde sanguis postridie mittatur ℥ ix. ex basilica brachij destri;

mox oximelite simpl. & decocto cicorij, adianti, bettonicæ, eupatorij, & appij radicis præpararetur humor; inde expurgetur per hieram pachij à Scribonio Largo descriptam ex secunda descriptione, quæ est validior, & illius ℥ ij.ß. dentur, & vsque ad ℥ iij. cum decocto, vel in forma pillularũ; oportet, aut valentius purgare in hoc malo, vel ipse Hypp. Cęterum semel, sed multoties, ipse tamen Hypp. elaterio purgatur, cęterum in brachio sinistro; post factas has vacuationes cauterium gestet, quod facilem habeat vomitum, illę per interualla ciendus, primo ex lenioribus à cibo, deinde per maiora, & ad antimonium præparatum denique veniendum, cuius.g. tria cum rosaceo sacchro dari poterunt, nec aliud remedium magis curare posse hunc morbum puto. Cæterum Celsus, & sanguinem mittendum, & purgandum in die accessionis, docet, quod tamen non probatur; Nam in accessionibus abstinere oportet, fricabit bis in die brachia, & crura multa & aspera frictione.

De cura capitis.

MATERIA, quæ in capite dissoluenda, & vacuanda, nam cum crassa sit vix sine præparatione veniet; ideo abraso capite fiant embrochæ è ligni sancti decoctę, cui camemelum, malua, viola, bectonica, saluia sint incocta; mox ad vrina, & apophlegmatismos primo leniora, inde maiora si vero nil veniat, non est vis facienda naturę, cucurbitæ autem singulis duobus diebus scapulis, & ocipitio adhibeantur, & scarificentur, & denique veniat ad assumptionem ligni guaiaci, & procuret exudationes, & extenuante victus ratione vtatur deniq; quia virgo est viro copuletur; nec.n. aliud maius, aut præstantius remedium excogitari potest ad exilarandam mentem, & commouendum totum corpus, procuret mutare regionem; Nam Hypp. huius morbi curam in mutatione ætatis, locorum, temporum, & victus collocat. Cauterium denique in brachio gerat.

De his, quæ a proprietate agunt, & malignitati resistunt.

PRAESTANTISSIMVM remedium est vngula illius animalis, quod vulganter gran bestia dicitur & appensa collo, aut anulo gestata, & puluis eius assumptus peoniæ quoque radix in eamdem intentionem gestetur, & assumatur puluis cranei humani, nec non visci quercini ossis de corde cerui quę huc malo resistunt egregie. Cęterum hoc electuario ait quidam antiquam sanasse epilepsiam, & conficitur hunc in modum. ℞ piperele, seu herbæ sancti Petri vulganter dictæ quantumuis cariophilorum, peonię, piperis an. partes ęquales, puluerizẽtur, & melle excipiãtur; fiat electuariũ, cuius sumat quotidie coclearium per dies xxx. ieiuno stomacho.

Con-

Consultatio vndecima, qua agitur de dolore ventriculi cum vomitu. Historia.

VIR ætatis annorum 60. habitu corporis crasso, qui gelato vino vtebatur, iam quatuor elapsis annis ventriculi dolore corripitur, quo per menses quatuor torquebatur, discessit deinde; verum mense Iunij proximi præteriti rursus eo corripitur dolore frequenter, qui os stomaci affligit, & spinæ correspondet, aliquando locum mutat ad mammam; dolet autem bis in die in occasu solis, & ad sestam noctis horam, qui durat ad vndecimam vsque, & venit cum magno vomitu, vometq; pituitosa, cruda, accida, nulla adest febris multa facta sunt, sed permanet dolor, qui calidis pannis appositis aliquantum mitescit.

De affectu, parte affecta, & causa.

NON sicut empirici faciunt, curantes omnem affectum ventriculi per calida, sicca, stiptica, vt ait Gal. ita nos facere debemus, sed cognito 7. Meth. *malo curare. Duo igitur proponuntur symptomata cardialgia, seu stomaci dolor, & vomitus, qui dolorem sequitur; afficitur autem ventriculus, & potissimum ad os, quod ex dolore cum positu, atq; ex excretis per vomitum cognoscitur. Cęterum cum iam diuturnus sit affectus per essentiam eo contere dicendum est; affectus intemperies esse videtur, eaq; frigida & humida, quod ex præcedenti gelato potu colligitur, & quia calidis remediis minuatur, est autem intemperies cum materia, quia ex praua coctione multa, & pituitosa gignuntur, quæ adherent tunicis ventriculi; vnde eleuantur flatus, & fortasse lien per eum meatum, qui in ventriculum repit, plus melancholiæ transmittit, quam deceat, vnde augetur malum. Cęterum consentiente corde, & flatu locum mutante ad sinistram mammam dolor aliquando apparet, qui solet potissimum post coctionem affligere, quia cum ea imperfecte fiant relinquuntur cruditates, in quarum ebullitione flatus eleuatur, qui dolores, & vomitum generat.*

De primo Scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

CVM malum hoc iam confirmatum appareat, & in homine sene neq; remediis commode adhibitis cessarit, & graue sit viresq; deiciat, vt syncopem minatur, parte existenti admodum sensibili, & cordi valde consentiente; non modo difficile remouebitur, verum periculum vitæ minatur, ac per inde omni ratione occurrendum, vt leuetur saltem, & minuatur.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vſu.

MATERIA, quæ in ventriculo adheret attenuanda, & euacuanda, intemperies corrigenda, ventriculus roborandus, ſymptomata nempe dolor, & vomitus tum præcauenda, tum etiam cum adſunt mitiganda; ſiquidem cauſæ rationem obtinent, & vires deiciunt.

De attenuatione, & vacuatione.

AD humorem attenuandum, qui adheret, oximel accommodatum eſt remedium, quo abſynthij coma per noctem maduerit, addito pipere; cuius ſummat mane ieiuno ſtomaco coclearia duo, vel tria, humor paulatim, & frequenter per inferna vacuandus, non validis medicamentis, tum ob ventriculi languorem, tum etiam ne humores ad partem trahantur; hiera igitur Gal. præſtantiſſimum eſt pharmacum, quo per interualla vti poterit ſumens eius ℨ iij. cum mulſa, vel brodo pulli, & vtatur frequẽter vna Hiera ſi paritur ex aloe tota magis erit accomodata, vel altera pillula de tribus, quæ aloe, agaricum, & raubarbarum recipiat.

De roborando ventriculo.

VENTRICVLVS roborandus tum extra, tum intus cuius intentionis ſemper habenda cura eſt; extra igitur vtatur hoc cerato præſtantiſſimo, quod habet. ℞ olei amygdalarum amararum, (in defectu dulcium) vini albi odoriferi an. ℥ iiij. comarum abſynthij quantum capere humor poſſit, cinamomi, aloes, maſtiches an. ℥ 1. bulliant ad vini conſumptionem, & facta expreſſione cum cera fiat ceratum, quo calido vngatur os ſtomaci, & 12. vertebra bis in die parum ante acceſſionem linteo calido ſuper impoſito, aut bapſus lanę carminatę ſupra imponatur eodem vn-
2. ad Glauc. *guento madidus; hoc nullum præſtantius inuenies. Gal. oleo, in quo abſynthium inferbuerit, vtitur, & emplaſtrum adhibet ex vino, hordei farina palmulis, croco, aloe, maſtiche. Cęterum intus ad roborandum diatricopiperon, aut diaſpociticon electuarium proponit, & inter cętera ad ſubuertitiones hoc vtitur. ℞ ſucci mali punici accidi partes tres, ſucci mentæ partes duas, mellis optimi, ſucci cotonei an. partem vnam fiat miſtura cuius per interualla accipiat ℨ ij.*

De intemperie corrigenda.

AQVAM tectuccij assumat per quatuor, aut quinque dies deinceps vtatur vino, in quo lignum guaiacum sit incoctum.

De prohibendis symptomatis.

VTATVR clystere, vel balano parum ante accessionem frictiones fiant, & ligaturæ pręcipue pedum exhibeatur offa panis cum vino calida aqua temperato, cucurbitula vmbelico apponatur. Cauterium cruris sinistro fiat, victus sit parcus admodum & facilis coctionis, cum pipere condiantur carnes auium boni succi, vtatur exercitio saltem mattutino tẽpore, vt longa deambulatione, vel ludo paruæ pilę, aut trahendo aquam de puteo; vinum bibat rubrum aqua calida temperatum; Nam si recte victu, & exercitio vtatur sine alio remedio sanari poterit, polenta quoque cum farina facta tritici, aut farri addito mellæ, & pipere commodissimum alimentum videtur esse in die accessionis, vt obtundens, & attemperans, cui etiam vinum misceri poterit album generosum.

Consultatio duodecima pro pudendi corrugatione. Casus.

ADOLESCENS gracilis, proceræ staturæ, latis venis, rubra facie anno ætatis xxi. constitutus, diu à Venere se abstimuit, & pœnitentia, ac ieiuno diu vitam deguit patitur membri virilis in actu venereo impotentiam, adeo vt in coitu quamuis semen emittat flacescat, & corrugetur, quærit auxilium, & An possit matrimonium innire.

De affectu, parte affecta, & causa.

MALVM, quod patitur symptoma actionis imminutę ipsius pudendi, seu naturalis sit, seu ex naturali & voluntaria composita actio erectio; afficitur autem coles, qui rigidas non seruatur, vt decet in causa. causa videtur esse meatuum ipsorũ densitas adiuncta musculorum erigentium imbecillitate; nam quod proueniat ex spirituum inopia penem inflantium, non videtur probabile, cum Iuuenis sit, & copiosium gignat semen. Galen. causas erectionis pudendi in dispositione naturali, vult esse spiritus copiam, & meatuum membri dilatationem, cum moderato calore, & eadem fere agnoscit in dispositione præter naturam quæ priapismus dicitur, vel moderatum calorem cum crassorum humorum copia, vel etiam immoderatum 8 de loc.

moderatum calidum sic vt pudendum patiatur quidpiam inflammationi simile; ergo meatuum angustia, quę membrum in conformatione facit causa, & affectus est, huius vero causa frigiditas vel natura, vel ex abstinentia esse videtur, cum musculorum imbecillitate.

An Medicus aliquid sperare debeat in hoc casu.

C*VM diuturna admodum sit affectio, nec tantum acquisita, sed naturalis esse videatur, ideo cum magna difficultate corrigi poterit; quod si remediis non cedat, quamuis ad coitum ęgre conficiendum abilis, ad generationem tamen nequaquam censendus est talis tentanda tamen sunt remedia, vt videamus quid Ars ipsa efficere possit.*

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

M*EATVS reclusi aperiendi, partes corroborandæ, spiritus copia procuranda; sed ante omnia corpus mundandum.*

De corporis prouisione.

C*VM patiens sit hepatis valde calidi, & pruritu, & scabie laboret, ideo mundandum est corpus. Verno itaque tempore hanc sequatur normam; assumat syrup. ros. sol. ℥ iiij. postridie sanguis ex basilica ad ℥ viiij. inde vero præparentur humores hac potione ℞ syrup. de cicorea simpl. de luppulis, eupatorij an. ℥ 6. Decocti fumarię, luppularum, borraginis, lactucę, capillorum veneris ℥ iiij. sumat in aurora calidum, post vij. potiones, purgebatur hoc pharmaco. ℞ electuarij ros. Mes. ℥ iij. diacatoliconis ℥ I. Decocti senę quantum sat est fiat potio.*

De meatuum apertione, & partium robore.

N*VLLA alia meliori via aperiuntur meatus pudendi qua vsu ipsius veneris, ideo coeat bis, aut ter in septimana; idque faciat mattutino tempore vel à somno, aut qua hora maxime pronus ad rem veneream fuerit, Galenus aptissimum tempus veneris voluit esse, cum corpus in mediocritate sit positum, ipse tamen coeat cum maxime stimulari se sentit, cinturam gestet, qua ventrē constringat valide, vt spiritus deorsum vergant, quod valde probat, Gal. partes vero genitales fouendæ fotu suffitu, & vnctione fotus sit ex vino maluatico, quo camemelum, malua, rosa sint incocta, & fiat cum it dormitum, post fotum suffiat partes ex belzoino, aut mirrha, inde vngat pudendi pectenperineum oleo, de nuce muscata.*

De gignendis spiritibus.

ALIMENTA sint boni succi, aliquantum flatuosa, oua sorbilia duo singulo mane sumat addito pipere; victus optimarum carnium, sed præcipue testium agnorum. vtatur frictis balbis, aliquando castaneis, tartufis, faba, cicer, cocta, & pisum, fricta scalonia, rapum, quæ omnia flatuosa sunt à cibo pinei, & pistachia sacharo incrustata, & cum it dormitum per interualla assumat diasatorionis electuarij ʒ iij. vel ex hoc quod valde probatur ℞ radicis iringorum ℥ 1. seminis rapę, cepe, bulbi an. ʒ iij. radicis piretri ℥. 5. Zinziberis ʒ 1.5. renum, & caudarum stincorum ℥. 5. rasuræ polypi piscis ʒ iij. fiat electuarium, cuius ʒ 1. accipiat. Cęterum Hollerius in suis obseruationibus ad consilia casu 22. electuarium proponit quod diuinum appellat & singulare pro erigendo pene quo nobilis quidam Hispanus remediis aliis frustra tentatis conualuit accedant veneris irritamenta vagę picturæ aliaq; eiusmodi generis.

Consultatio decimatertia pro nocturna pollutione.

IVLIVS odius mihi inter discipulus carissimus, & Medicinæ doctor, & magnæ expectationis Adolescens habitu corporis gracilis, & procera statura constans, sępe mecum questus est de nocturna pollutione qua iamdiu inuitus per somnum magnam copiam seminis effudit vnde affligitur, & anxius est, asserit autem se vsu veneris melius habere, & rarius eo malo affligi quamobrem conabor pro viribus mali naturam, & auxilia scribere.

De affectu, parte affecta, & causa.

QVOD proponitur malum symptoma est immodicę excretionis; Affectus causa intemperies esse videtur eaq; calida partium, quæ semen attrahunt, & gignunt. s. testium, & renum, & vasorum spermaticorum; qua attrahitur sanguis ad semen conficiendum, atque illud quidem multum, cumq; acredinem concipiat irritat facultatem, id vero magis per somnum, tum quia eo tempore magis attrahitur materia tum quia quælibet immaginatio irritatio per somnum magna, & valida se offert sensibus.

An Medicus aliquid facere debeat.

CVM affectio sit adeo inueterata, & confirmata, non ita facile, vt puto remoueri poterit, nec tamen negligenda est; quia si veluti per interualla aliquot dierum superuenit, ita frequentior esset, & validam extenuandi corpus vim haberet, & Hypp. satirum quendam scribit, qui cum die

die ac nocte perpetuo semen effuderit tabidus mortuus est; ego tamen id nequaquam timendum esse in casu nostro existimo, immo beneficio ætatis partibus attemperatis melius habiturum spero, quando remedia vt spero, & vt decet adhibita erunt, ad quæ deueniendum quamprimum existimo.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

C*ORPVS expurgandum, & attemperandum, materia reuertenda, & partes roborandæ.*

De primo Scopo.

Q*VIA verisimile est, humores, ex quibus semen conficitur non inculpatos esse, ideo leniter vacuandi per interualla; id vero fiet si singulo mense accipiat ℥ 1. pillularum de tribus, quæ recipiunt aloe, raubarbarum, & agaricum ad partes æquales cassiæ quoque vnciam, mirabiliter renes mundandi vim habent, qua aliquando vti poterit; procuret autem, vt bona victus ratione vtatur, vt humores ad mediocrem statum reducat.*

De attemperantibus.

I*NTER ea, quæ attemperandi vim habent præstantissimum est serum caprinum, cuius Veris tempore assumere poterit lib. 1. singulo quoque die per 15. dies; victus sint carnes auium boni succi, & piscium saxatiliũ, oleribus vtatur lactuca. s. & cucurbita, cichorio, & borragine coctis. Potus sit modo aqua, modo vinum imbecillum virium, & nigrum magis quam album; extra vero vngantur partes ad lumbos vnguento Galeni refrigerante addito succo sempreuiui vitet decubitum supinum, poterit etiam gestare ad renes subtilissimam laminam plumbeam multis foraminibus cribratam vt vapores exeant.*

De auertenda materia.

P*ROHIBENDVM quantum fieri potest ne materia fluat ad partes infernarum, quare licet aliquando vti vomitu, & fricentur quotidie brachia panno mediocriter aspero; vtatur commodo exercitio præcipue ad partes superiores qualis est ludus paruæ pilæ, aliquando etiam vtatur venere, ita enim fiet vt minus tumentes partes non adeo stimulentur, sed moderate vino nigro ad roborandum foueat pudenda quo rosa mirtus, verbena, agnus castus, & menta sint incocta.*

De his, quę a proprietate reſiſtunt.

℞. *Limaciarum lib. x. ſucci limonum lib. ij. portulacæ, acetoſæ, plantaginis agni caſti, rutę, mentaſtri an. m. 1. omnia deſtillētur, & de hac aqua ſumat per aliquot dies matutino tempore: puluis quoque capitis lucij piſcis furno exiccati mirabiliter ad pollutiones conferre dicunt.*

Conſultatio decimaquarta pro Nobili Piſtorienſi, qui perpetua ad fauces fluxione laborabat, hęmorrhoidibus, & nephritica paſsione. Caſus.

ADOLESCENS ætate xx. annorum conſtitutus, colore ſubliuido temperie melancolicus, capitē frigidiori, iam annis quinque magno correptus eſt catharro ad fauces & os, & cōtinua ſpuitione laborat & craſſa, & liquida expuit, alui feces eodem humore apparent imbutę, accerſitus Medico per biennium bis in Vere purgatus eſt, veterum ſine profectu: ideo cauterium in ſiniſtro brachio factum eſt; verum perſeuerauit ab eo malum, quamuis copioſa materia ex eo flueret. Rurſus alterum cauterium curauit fieri ſub genu à quo materia copioſe fluit, nihilominus malum perſeuerauit: non confugit ad lignum guaiacum, quia ob Iecoris calorem timor erat, ne potius lęderetur.

Laborauit quoque hic ęger renum calculo iam per biennium vrinæ ſemper cum arenulis, dolor ad renes grauis, bis aſſumpſit aquam tetucci, & Villę; inde ad balneas in agro Piſano, quæ de aquis dicuntur profectus eſt bis per duos annos, in quibus moratus aliquot dies 20. anno ex aſſumptione prædictarum aquarum lapidem eiecit, qui ad virgam perueniēs mago cum labore, imo opere chirurgi extractus eſt, à quo tempore renum ceſſauit dolor, vrinæ tamen cum arenulis deſcendunt. Hęmorrhoidas habet, quæ per quatuor menſes iā multum effluunt, quoties aluum deiicit, ſanguis, qui deiicitur ater eſt, nullamq; ex illo licet copioſo ſe imbecillitatem percipere dicit.

Diſcurſus.

ISTARVM affectionum cauſas, non vna, ſed multiplex ſtatuenda eſt; Nam catarrhus illę ad cerebri humidam, & frigidam intemperiem referri debet, eamq; per eſſentiam factam & fixam, ob quam cum alimentum conficere non poſſit, conuertitur magna illius pars in pituitam; quam, vt copia grauantem ad fauces tranſmittit, & circuitu facto rurſus idem euenit; nec mirum ſi medicamentis, cauterio, hęmorroidibus non ſit finitum malū, quia nullo negotio impedire poteſt, quin cacochymia perſiſtat, & gene-

retur cõtinuo ex partiũ debilitate, & imbecillitate caloris innati; Iuuatur affectio ex aluo, quam duram habet. Cęterum caliditas Hepatis, quæ ex scabie, qua scatet satis deprehendit, & per consequens renum; calculi causa censeri debet, Hemorroides vero superuenientes, vt copiose fluentes (vt puto) in causa fuere, cur non amplius nephritico dolore laborauerit; Nam vt docet Hypp. melancholicis, & nephriticis hemorroidis superuenientes bonum, sed cum illę sint copiosę, & cum corpore cacochimo symptomatice potius quam critice superuenisse censendum est ex debilitate retentricis, aut sanguinis praua qualitate.

An Medicus circa prędicta aliquid moliri debet.

CVM prædictæ affectiones tam diuturnæ extiterint, & remediis recte adhibitis non cessarint, immo contraria remedia requirant cum contrariæ sint affectiones fixę, & in hac ætate fatendum est, corpus egrotantis eo deuenisse, vt potius sperandum sit, malorum lenitionem, quam extirpationem, & quod Hypp. de senibus dicebat, de adolescente nostro vere dici possit, reuma hoc, quo perpetuo affligitur coctionem non esse admissurum.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

INTEMPERIES corrigenda, itaut tam corpus, quam caput exiccentur, ita tamen vt quam minimum Iecur lędatur, qua in re omnium, quas patitur, passionum consistit medela.

De corporis exiccatione.

HAEC intentio, nulla alia ratione melius, quam per victus rationem perfici potest; curet corpus suum exercere quotidie longis deambulationibus ab exercitio cibum assumat ex carnibus auium, vt palumbarum, pullorum, turdorum, vt plurimum assis aliquando etiam elixis; Potus vinum nigrum imbecillium virium, & bibat quam minime poterit, parcus .n. admodum debet esse potus, sicuti & cibus; corporibus .n. humida carne prẹditis præferenda fames; dixit Hypp. fugiat omnia acria, salsa, aromata, solem, auras mattutinas, vespertinas, validum motum, deinde Verno tempore sumat decoctum radicis cinæ in defectu, sarziparilię sine regula, & propter calorem Iecoris, in fine decocti addat cichoreum oxalidem, borraginem, adianton eupatorium, & bectonicam; quo tempore leni aliquo medicamento purgetur per pillulas de tribus, quas in vsu habeat frequenter ad leniendam aluum, in qua intentione soleat ante prandium vti betis,

7. Aphor.

aut

aut ſpinaciis coctis cum melle, & vua paſſa, & prunis; Nam in lenienda aluo magna conſiſtit curationis pars.

Pro capitis robore, exiccationeq;.

FIANT lotiones ex decocto ligni guaiaci, aut lixiuio, in quo roſa, bectonica, ſaluia, roſmarinus stecas bullierint; à lotione ſacculis ex milio calefactis, aut linteis pãnis caput calefiat per ſpacium octaui horæ; vtatur caput purgiis, per ea, quæ ad nares attrahũt, nõ maſticatoriis, ne ad fauces materia trahatur; igitur ſuccum betę cum ſaccharo naribus attrahat, aquamue hordei cum melle: pro hemorroidibus nil moliendum, ſi tamen ex nimio fluxu corporis timeatur refrigeratio; vtatur ceruſæ vnguento diſſoluto in oleo mirtino, & clisteribus, qui leniter astringant, & obturent, qualis hic est. ℞ plantaginis, centum nodio, roſarum, rubrarum, balaustrorum an. p. 1. fiat decoctio in lacte ad lib. 1. pulu. boli armeni farinæ fabarum an. ℥. 1. fiat cliſter in formam pultis.

Pro prę ſeruatione a calculo.

NE verò amplius generetur in renibus calculus ſingulo mẽſe ſumat pulueris corticum radicum lauri tenuiſſime triti, & cribrati, pulueris raubarbari an. ℈ 1. & cum dolore renum afficitur, idem ſumat in mulſa, & est admirabile remedium impellendo calculo, & ſecretum quod centum aureos valet.

Conſultatio decimaquinta de capitis dolore, ſibilo aurium vertigine, & tumore in genu.

VIR annorum 60. calidæ temperaturæ, & gracilis, laborioſus, & curis deditus iam diu dolorem paſſus eſt in medio frontis cum frigidiſſimo ſenſu, itaut conaretur locum fricare, vnde ſedabatur dolor, quo ſublato dolore per interualla patitur hemicraniam, ſucceſſit ſibilus in auribus, & vertigo, patitur quoque tumorem flatuoſum in genu, habuit etiam poſt illum primum dolorem, hemorroidas effluentes, quæ clauſæ ſunt artificio.

Dignotio.

PARS, quę afficitur, cerebrum eſt, id quod & dolor, & ſibilus & vertigo oſtendunt, & lęditur per eſſentiam quod colligitur ex diuturnitate affectionum, & quia non ſequitur euidenter alium affectum, niſi dicamus oclusionem illam hemorroidarum concurriſſe cum cerebri debilitate ad ista

symptomata facienda: causa istorum symptomatum ad imbecillitatem referri debet, ad imbecillitatem inquam ex intemperie frigida, & humida ortam, id quod ex sensu doloris, & ætate deprehenditur; estq; cum materia vnde eleuantur vapores, quorum motu & vertigo, & sibilus fit: ex eodem capite quoque verisimile est, deferri vapores ad genum, qui creantur tumorem illum, accedente partis imbecillitate.

Prognosticum.

CVM sit adeo inueterata affectio, & in corpore iam sene, non est verisimile posse vlla ratione sanari, imo periculum est, ne in paralysin, stuporem, aut apoplexiam, vel epilepsiam, aut alium grauiorem cerebri affectum incidat; aliquid tamen a Medico agendum est, vt quantum fieri potest, mitigentur symptomata, & euitentur.

Quid Medicus facere debeat.

INTEMPERIES cerebri corrigenda, materia euacuanda, & deuertenda, caput roborandum, symptomatibus quantum fieri potest occurrendum, vt dolori, sibilo, vertigini, ac tumori; denique virtus seruanda bona victus ratione.

De euacuantibus totum corpus.

AD initium Maij curabit corpus euacuare infrascripta ratione. ℞. diacathol. ℥ I. hieræ pigræ ʒ ij. fiat bolus, & capiat in aurora; sequentibus diebus sumat syrupum infrascriptum. ℞ syrupi de betonica, de stechade an. ℥ I. decocti senæ ℥ iij. fiat syrup. assumendus in aurora, quo quinquies repetito, assumat infrascriptas pillulas. ℞ pillularum cochiarum ℈ iiij. cum oximellite fiant pillulæ vij. assumendæ post primum somnum, & repetat hanc purgationem a finem Septembris bis in anno.

De vacuatione capitis.

MASTICATORIA aptissima sunt ad trahendam pituitam si versetur in ore, ieiuno tempore, per vnam horam in hanc formam. ℞ piperis, pyretri, an. ʒ I. facchari cand. ℥ I. cum melle fiant pastilli mandendi in prædictum vsum. itidem pro conuersione materiæ curet sibi faciendum cauterium in nucha, quod diu adapertum seruet.

Pro roboratione capitis, & corrigenda intemperie.

VT caput roboretur medicamentum eſt Pauli, quo Mulier quędam multos curabat in hanc formam. ℞ radicis cucumeris agreſti, quem aſininum vocant, in taleolos conciſę ℥ ij. comarum abſynthij m. ij aquę lib. iij. olei lib. 5. coquantur, & bulliant, deinde abraſo capite vel ſyncipite lotiones fiant cum expreſſo decocto, & materia, quæ remanet etiam poſt lotionem in emplaſtri modum ſyncipiti applicetur repetatq; remedium bis in ſeptimana.

De leniendis ſymptomatibus.

VERTIGO quoniam ex motu exacerbatur tam rerum externarum quam corporis, ideo quieſcat, & ad exercendum corpus ſufficiant ambulationes, ſed fugiat conſpectum rerum, quæ mouentur velociter, vt rotarum, & fluminum, & præcipitia, & cum vertigo corripit, quieſcat ſtatim. Dolor capitis ſupradictum emplaſtrum lenietur; ſicuti & tumor, qui eſt ad genu, ex eodem emplaſtro ſupradicto abſynthij, & agreſti cucumeris diſſoluetur, & pars roborabitur. Ad ſibilum vtatur oleo ex amygdalis amaris in intincta lana, ſeu bombace, qua obturentur aures, & vngantur meatus interni.

De victus ratione.

FVGIAT auras matutinas, & veſpertinas, & meridianum ſomnum; victus vero ſit extenuans, & mediocriter calefaciens, qualis paratur ex auibus montanis boni ſucci, cuiuſmodi ſunt columbæ, & perdices, & turdi, oua ſorbilia, vuę paſſę, & ficus ſiccę; ante cibum ad ſoluendam aluum, vinum ſit paruarum virium ne feriat caput, ſeu album, ſeu nigrum, & ſi aluus fuerit ſicca procuret ſingula ſeptimana vti clyſteri acri accipiendo decoctum commune, & addendo diacatoliconis ℥ 1.

Conſultatio decimaſexta pro curanda podagra. Caſus.

VIR 40. annorum boni habitus dolorem in magno digito ſiniſtri pedis, & in talo eiuſdem per interualla ſentit, qui valde eum affligit per aliquot dies, qui dolor primo incipiens à genu firmatur in prędictis locis nec tumor adeſt niſi paruus, & vix conſpicuus. Pater, auus eodem etiam dolore ſæpius cruciati ſunt.

Dignotio.

Dignotio.

CERTIVS est, quam multis verbis indigeat affectum, quem patitur esse podagram; dolor.n.pedis per interualla repetens huius affectus signum est euidens, causa pituita cum bile est, quę ad prædictum articulum effluens solutionem continui quandam creat, vnde dolor nascitur accedit quoque intemperies calida attracto sanguine ad partem recipit autem articulus imbecillitatem, quam videtur contraxisse hęreditariam iure transmittens caput præcipue in hoc morbo est, vnde omnis pituitæ origo cũ vero humor sit tenuissimus sic penetrat per exiguas venas in prędicta loca.

Prognosticum.

QVAMVIS huius morbi natura pertinax admodum sit, & in prędicto ægroto quodammodo hęreditaria, & ideo difficilis admodum curationis, nihilominus cum cura adhuc recens sit, & accurate viuat, sperare licet sanitatem, si rectè curetur, aut saltem magna mali imminutionem, vt secundo prædictionum scripsit Hypp. & in hoc morbo requirit Medicum intelligentem, alioquin sanitatem non sperat.

Quid a Medicus sit agendum.

DVPLEX oritur intentio, altera ad præseruationem, & causarum extirpationem, altera vero accessionem respicit. Rursus prima materiam euacuat, quæ fluxionis est causa prohibet ne noua generetur, articulos roborat quo minus materiam suscipiant, quæ vero accessionis est curatrix fluentem materiam reuellit secundo repellit, & attemperat, dolorem lenit tertio reliquias materiæ discutit.

De materiæ euacuatione.

SI fieri potest vere suscipienda curatio præueniendo accessionem, quæ eo tempore excitare solet; dolores.n.podagrici veræ, & autumno excitari solent 6. aph. Igitur in primis sanguis mittatur; nam missio sanguinis statim inter initia facta, vt ait Celsus sæpe annuam nonnumquam perpetuam valetudinem præstat; purgatio quoque, & crebriori vomitu à cibo, & per deiectionem fieri debet, cuiusmodi ex pillulis de hiera cum agarico ad ℥ 1. vel per diacartamum, vel diaturbit accipiendo huius, vel illius ℥ iiij. cum ℥ 1. electuarij lenitiui post euacuationem totius corporis, curabit caput purgare per herinna, & masticatoria.

Lib. 4. c. vlt.

Quomodo

Quomodo prohibeatur, ne materia, & cruditas gignatur.

SIT in primis victus ratio ex media materia vitando repletiones; Potus aqua, aut rubrum vinum pauciferum; Venus adeo inimica est huic malo, vt vel ea sola ipsum excitare possit, quippeque fluxiones commoueat, & venas aperiat; vnde notauit Hypp. nec pueros ante veneris vsum, nec Eunucos hoc morbo laborare 6. aph. & Celsus scripsit quosdam hoc morbo laborantes cum toto anno à vino mulso, & venere sibi temperassent securitatem totius vitæ fuisse consequutos debet preterea exerceri, & ab exercitio exudare in quibus duobus (Card. teste) securissima ponitur huius morbi curatio, modus vero est, vt homo exerceatur ieiunus vehementer vsque ad sudorem; inde ponat se in lecto calido, & exudet contectus panno quousque potest, & hoc faciat quotidie, aut bis in septimana a sudore mediocriter prandeat, & continuet per annum & sanus deget, & forsan curabitur in perpetuum.

6.Aph.

Articuli qua ratione roborandi.

ROBORANTVR articuli, si quotidie fricentur oleo, & sale, & ex decocto etiam, quod recipiat mirti, saluie, bettonicæ, origani, maiorane m. I. in lisciuio sarmentorum addita salis lib. 5. Hypp. quoque iubet aduratur digitus, & articulus dolens ex lino crudo lib. de affectionibus, Celsi quoque fomentum ex sale lib. 2. cap. 17. ad roborandum articulum magnam vim habet.

Pro accesione, quomodo reuellenda materia.

CVM tempus accessionis properat, aut etiam accessione præsente medicamentum purgans exhibere oportet suprascriptum, & tenuis victus ratione vtendum, itaut dimidia pars cibi detrahatur, bibatur aqua, aut vinum rubrum ad dimidium temperatum, & fugiat solem, & frigus, & exercitium, & balneũ, & venus, & quecunq; excitare fluxiones solent.

Qua ratione depellere, & dolorem sedare oportet.

SI pars cum dolore rubet, & calet immittendus pes in frigida aqua, hec enim attemperat, & dolorem lenit 5. aph. 25. sed neque continuo, neq; diu ne nerui ledantur, adhibet quoque in eo casu Hypp. lib. de emplastrum, ex portulaca, & lactuca rubra cum farina in aqua dissoluta in eam intentionem quoq; inter cætera maxime laudatur mucilago seminis cidoniorum, & psilij,

& psylij, extrahatur ex aqua plantag. vel solani cũ modico aceto ex stuppa canabina tepida, inducatur bis aut ter in die, quoad ardor omnis cesset; nam persistente ardore, & inflammatione adeps vel oleũ non conueniunt, quia eum augent. Cum itaq; pars iam temperatior est tunc oleum camomelinum, & lileaceum conueniunt, cassię item medulla cum oleo rosacco applicita.

Qua ratione discutienda materia.

DISCVTIVNT materiam iam dolore prorsus sublato cataplasmata, quæ habent sapę lib. 1. furfurum. q. s. vt fiat pultis, quæ calida applicetur; hoc non solum resoluit, sed etiam dolorem lenit & aufert, magis vero discutit hoc quod habet, ℞ gummi pini, picis naualis, emplastri oxicrocei an. ℥ 1. sulphuris viui hermodactylorum in puluerem redactorum ℥. 5. olei terbentinæ. q. s. fiat emplastrum, quod articulo applicetur.

Consultatio decimaseptima pro cancro mamillę dextrę. Casus.

MVLIER annorum 45. temperamento calidiori, habitu corporis gracile, colore flauescente, tumorem habet ad mammam dextram subliuidum, venis tumentem, dolorosum, pungentem: initium habuit anno elapso, menses iam per annos tres desiere; quęrit auxilium.

De affectu, & causa.

AFFECTVS cancer est, vt aperte signa demonstrant, estq; occultus, cum non sit vlceratus, & quia tam diuturnus est, & auctus, vt vere affirmare liceat habere radices alte constitutas, & ad viscera præcipue, & Iecur. Causa humor est acris per adustionem sanguinis, & bilis factus, ad cuius generationem menses suppressi occasionem dedere, magnus
2. prædict. enim (dicebat Hypp.) consensus est pectoris mammarum, & pudendorum, est autem pessimę naturæ cum exacerbatum fuerit etiam lenientibus medicamentis.

An Medicus quippiam agere debeat.

CVM sit occultus, & pessimæ naturæ, adeoq; iam excreuerit, nullam admittet curationem; nam nec ferrum, neque ignem ferre poterit sine magno vitæ periculo, adde, malum à Iecore initium habere, & cum valde irritatus fuerit ex medicamento, quod bdellium, amoniacũ, & mucillaginẽ psylij recipit, verisimile est eo magis irritari etiã à quocunq; alio remedio

dio, ideo cum Hypp. melius erit non curare, sed producere vitam quantum est possibile, & morbi symptomata blanda manu.

Quid Medicus facere debeat, deque commodo remediorum vsu.

DVO respicit hæc cura Medici; alterum ad totum corpus pertinet, alterum ad affectam partem. Quoad corpus debet euacuare leniter per interualla, & sanguis attemperari; Tumor vero leniter tractandus. igitur purgetur per interualla per hieram pachij, qua nullum est pharmacum præstantius, quæ describitur a Scribonio Largo cuius ℥ iij. dari poterunt, plus aut minus corpore tamen præparato ex iulapio, de luppolis, & fumę terræ cum decocto senæ; attemperabitur Iecoris, & sanguinis caliditas, si sumat serum caprinum per aliquot dies; fiat cauterium in crus destrum prope genum; vtatur alimento, qui attemperandi vim habeat, quales sunt pullorum, & hedorum carnes coquantur cum borragine, cichoreo, acetosa, lactuca, cucurbita. Potus aqua, aut vinum album imbecille. Quoad tumorem adhibeantur, quę leniendi, attemperandi, & mediocriter reprimendi vim habent quale est, quod ex succo plantaginis, oleo rosaceo, & lacte mulierum fit vnguentum. hæc igitur pro affectu sufficiant prædicto. Illud tamen ex Gal. notandum, cancros à principio curari frequenti humoris melancholici purgatione, & his, quæ mediocriter reprimunt parti admotis. Card. cuiusdam herbæ mentione fecit quam chyrsum appellat, cuius folia cum duplici herbæ pastellę dictę, & panis medulla contundens emplastrum facit, quod (ait) curare cancros; quidam autem omnes cancros ita curabat erat. n. empiricus scindebat, & secabat ad similitudinem folij oliuæ, & oleo calcanti illinebat, qui sanabatur, sed postea redibat malum post anñ, hæc tamen non nisi summa cum cautione faciendam. Lib. Aph. 38.

Consultatio decimaoctaua pro corrigenda corporis obęsitate, & extenuatione.

IVVENIS annorum xx. ex natiuitate obęsus, paulatim eo crassities deuenit, vt amplissimam habeat, & ventris, & omnium membrorum molem, adeo vt vix se mouere queat, & difficultate spirandi laboret.

Huius autem frater natu maior cum a natura gracilis admodum sit, progressu tamen temporis cum febre diu laborauerit, qua modo caret, cum stomaci tamen insigni imbecillitate eo deuenit extenuationis, & vix quidquã præter ossa, & cutem habere videatur; quæritur in primo ablatio, in hoc vero secundo adiectio; agemus igitur de crassitie illa immodica; deinde de extenuatione.

De affectu, & causa.

AFFECTVS ad auctam magnitudinem referri potest, qua partes ita tument, vt officio suo fungi non possit corpus præcipue in motu. Causa esse videtur sanguis natura frigidior ad congelationem apta; carnium, & cutis densitas, vasa enim angusta statim transfundunt sanguinem, qui non trasparens frigiditate membrorum concrescit; aucta est affectio ex cibis multis, & boni succi, vita otiosa.

An Medicus aliquid moliri debeat.

CVM hęc crassities sit à natura, ideo vix aut ne vix quidem absolute tolli poterit, quamuis aliquantisper corrigi non sit desperandum, & conandum sane est ne augeatur, id, quod fieri solet ætatis beneficio frigidioris; ideo magis pinguescunt quo seniores hę naturæ; periculum autem est ne vel nimia mole suffocetur, aut febribus corripiatur acutis; has
2. Aph. 44. naturas dicebat Hypp. minus viuere quam graciles.

Quid Medicus facere debeat.

MOLES corporis extenuanda, & ne amplius augeatur prohibendum, id vero potissimum fiet victus ratione extenuante, & labore,
6. Epidem. vnde Hypp. de estractoriam curam fieri dixit cursibus, deambulationibus cęleribus, lucta, carne ouilla, maxa, & prodico pane; ideo ex mediocri materia nutriatur, vt carnæ pulli assa vel palumbi, piscibus saxatilibus, & salitis pane bene cocto. Vinum sit album oligoferum tenuium virium, & austerum: curet exercere corpus quantum fieri potest paulatim, & si non potest ex se equo, aut curru; curet quotidie, vt fricetur totum corpus, linteis asprioribus multa satis frictione ad artus, & scapulas inde oleo ane thino vngatur per interualla; vomat a cibo bis in mense; coitu vtatur, vigilia aliquando lecto duro.

De extenuatione.

SICVTI illa obęsitas ad morbum in magnitudo referenda erat; ita hęc extenuatio ad motum in paruitate, est autem naturalis extenuationis causa cutis raritas, sanguinis tenuitas; sed cum etiam præter naturam ex febre, & deinde ex ventriculi imbecillitate consumptus sit, & quasi in habitum senectutis conuersus, ideo verisimile est siccatas esse partes solidas, ac perinde refrigeratas . . . a ventriculo, vt vix sperari queat refectionem.

Quid

Quid agendum.

HVMIDVM, quod deest quantum fieri potest restituendum ventriculus roborandus; ergo alimentum sit calens & facilis coctionis, qualia sunt oua sorbilia caro palumbi, pullorum, iura pinguia, lac etiam cum melle assumatq; cibum à balneo, quo bis in die vtatur, & ter in die cibetur. Vinum sit mediocrium virium, & medij saporis; frictiones lens vt trahant, sed non dissoluant; ventriculus extra oleo de nuce muscata inungendus, aut nardino in quo absinthium, menta cum vino bullierint, ambulationes lenes fiant, vt sensim exerceatur, & si corpus reficitur (sunt.n.hęc veluti vehicula ait Gal.) ad ea, quæ magis nutriunt veniendum, & sensim ad naturalem habitum reducendus, quæ enim longo tempore extenuata sunt corpora sensim reficere oportet.

Consultatio decimanona pro adiuuando conceptu. Casus.

ADOLESCENTVLA annorum xx. boni habitus, menses suos habet, & sana est. Vir eius Iuuenis, sanus, & tamen non generant; fatetur tamen mulier non admodum coitu delectari, & in eo ipso frigere.

De affectu, & causa.

QVANTVM coniicere licet defectus est ex parte mulieris ex intemperie vteri prouueniens, eaq; frigida, & humida. Nam quæ frigidos, & humidos locos habent, non concipiunt ait Hypp. quia extinguitur in ipsis genitura colligitur vero hic affectus, quia Mulier in venereo actu friget; 5. Aphor. *consideranda quoque menstrua in arena, siue in linteis siccata, quæ (vt puto) pituitosa, & mucosa erunt, & si semen effluit ab vtero intra septimum diem.*

An Medicus aliquid moliri debeat.

HVMIDA intemperies ex se facile curatur, dummodo à natura talis non fuerit, quod tamen raro contingit, ac perinde puto in prefata Nobili Iuuene facili negocio correctam iri.

Quid Medicus facere debeat.

TOTVM corpus, & vterus expurgandi; secundo attemperandi, & exiccandi, tertio roborandus vterus, quarto excitanda Venus, quinto conseruandus fętus vsque ad partum, dato quod concipiat, de quibus sigillatim dicendum est.

De corporis expurgatione.

ALVVS leniatur primo ex hiera Galeni cum diacatolicone, vt huius summat ℥ 1. illius ℥ ij. in bolo; inde vero præparetur humor ℥ ij. syrup. de artimisia cum decocto maioranæ, sticados, bettonicæ, & origani; inde assumptis septem potionibus, purgetur pillulis cochiis ad ʒ. 1. 5. quę cum oximellite formentur, à purgatione summat aquam tettuccij.

De vteri purgatione, & exsiccatione.

FIAT fotus ex vino, cui laurus, feniculus, artimisia, & conisa bulliant, inde pessus fiat ex succo artemisiæ, & conisę cum puluere myrrhæ, & cum it dormitum odoratis foueat pudenda per siphonem ex belsuino stacte, & carofilis.

De exsiccatione corporis.

VTATVR tenuante victus ratione, & carnes edat assas pullorum; parum bibat, & vinum sit rubrum mediocrium virium, exerceatur quotidie saltem longa ambulatione, & cum coit comedat parum, & si genitura receperit vtatur ea cura, qua Hypp. vtitur libro primo de morbis mulierum, dum hunc affectum curat; si ita non possit concipere ad exsiccandum corpus assummat ligni guaiaci decoctum.

De incitamentis ad Venerem.

ASSVMAT cum it dormitum electuarij diasatirion dicti ʒ ij. parum cenet comedat illa quæ Venerem augent, qualia sunt pistacchia, & pines sacchiaro incrustata; inter cætera, æsus piscis polypi, aut puluis eius assumptus valde facit ad conceptum Hyppoc. teste, est enim piscis illę salacissimus.

De præseruatione.

HYPPOC. *primo de morbis mulierum docet, quod vbi mulier a coitu se recepisse semen sentit, nec exiit statim alternatim positis cruribus quiescat, & primo die dieta vtatur, vel non detur ei aliquid præter polentam ex farina, inde vero nutriatur assa carne columbi, aut pulli; fugiat omnem validum motum, balneum, durum sedile, & vino nigro austero vtatur.*

Consultatio vigesima pro iuuene hydropico.

IVVENIS *annorum xxx. boni habitus, post diuturnam quartanam per quam, multum aquæ biberat tumorem patitur abdominis cum duritiæ præcipue destri hipocondrij, in quo aquam fluctuare videtur superiorium partium; extenuatio adest cum febricula quædam lenta, sitim vix tollerare potest; aluus astrictior, deiectiones biliosę, & acosę.*

De affectu, parte affecta, & causa.

AFFECTVS, *quem patitur hydrops est ascites dictus; pars affecta Iecur potissimum tum lien à nimio aquæ potu tumentes, & intemperati, intemperies in dispositione frigida, sed in habitu calida, cum Iecur valde calidum habeat, & biliosę adsint deiectiones, aqua vero, quæ tumorem facit intra intestina, & peritoneum contineri probabile est, eò autem refluit, vel alicuius venę erosione, seu rima, vt putauit Farnelius, vel potius per occultos meatus; nam in hoc morbo externi meatus occludun tur (vt ait Hypp.) interni aperiuntur.* Lib. de locis in homine.

An Medicus quicquam facere debeat.

QVOD *ipse morbus sua natura, rebellis admodum sit, quod lungo morbo successerit, atque febrem coniunctam habeat, & fere remedia contraria postulet; omnia hæc vel impossibilem, vel difficilem admodum curationem ostendunt; verum quia iuuenis est, & robustus, neque pedes inflati sunt, eò magis spes augetur, si obediens fuerit medico; nam hic morbus (vt ait Celsus) facilius in seruis, quam in liberis tollitur, quia cum desideret famem, sitim, mille alia tedia, longamq; patientiam, promptius his succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est iidem docet de die in die mensurandum ventrem, & si decrescit spes est, si minus malum; item mensurandam potionem, & vrinam, & si plus excernitur, quam assumitur, ita demum secundę valetudinis spes est.*

Quid

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

A*QVA, quæ in ventre est vacuanda; viscera Iecur. s. & lien attemperanda, & roboranda, symptomata lenienda, vt febris, & sitis.*

Qua ratione ducenda aqua.

A*QVA nisi prius emittatur, non poterimus morbi radices perscindere; ea igitur omni ratione ducenda est, primus modus est per medicamenta, quę aquas educunt per aluum, quæ tamen non noceant suo calore, inter quæ succus ebuli ad ℥ 1. cum ℥ ij. syrup. ros. sol. per interualla datus aquas educet. secundus modus est, vt aqua per vrinas educatur, ideoq; summat ℈ 1. raubarbari cum vino meraco per dies aliquot, tertio quoque die; sic enim per aluum, & per vrinam; deinde incoquat in vino albo tenuium virium radices quinque nec non camemelum, adianton, gramen, asparagum, colato decocto 6. calidos sumat cum oximellitis vncia 1. mane per aliquot dies, tertius modus educendi aquam est per cucurbitas multa flamma vmbelico applicitas, & cum scarificatione, & scarificatio si fiat per ferrum ignitum melius, vt seruetur via diutius ad aqua emittendam, hæc sensibiliter: insensibiliter autem per emplastra, seu vnctiones, quæ aquam attrahendi vim habeant non tamen sint calide valde, quę veluti absorbeant aquam, quale est malagma, quod ex farina cumini fit cum melle & sulfure; absorbetur etiam arena calida, & sacculis, Matheolus in suo Dioscoride cap. de absynthio, scribit se sanasse hydropicos iam deploratos; eius herbæ cum sacchαro esu; & ibi compositionem ponitur parandi ratio est, summito florescentium iam comarum absynthæ pontici lib. 1. sacchari albiß. lib. iij. comas demptis, & pediculis tundito in mortario lapideo. deinde his optime tusis saccharum in puluerem tritum adiicito tunde in vanum corpus adusum, quod si non educatur prædictis rationibus iam de sectione iudicium faciendum, ea ratione qua docet Celsus lib. 3. cap. & cum cautionibus de quibus idem lib. 3. cap. 20. in fine, quia non omnes apti sunt sectioni nisi (vt ait ille) Iuuenes sint, & robusti, qui vel ex toto febre carent vel saltem liberales habent intermissiones; Nam quorum stomacus correptus est, & qui malum corporis habitum habent, quiue atra bilem huc deciderunt, idonei huic curationi non sunt, & cum iam viscera corrupta aqua vero paulatim, nec vna vice educenda ne repente moriantur, vt ait Hypp.*

De

De attemperantibus.

VICTVS ratio instituatur, vt corpus sine manifesto calore; bibat itaque parcissime, & vinum sit album tenue; alimentum ex auibus montanis assis boni succi labores mediocres, & ambulationes quantum ferre poterit; licet enim exercitium sit validissimum remedium; tamen in casu nostro vires repugnant. Iecur, & renes vngantur ex cerato, quod recipit olei rosacei, absynthij, mentę an. ℥ 6. puluis absynthij, mentę, scolopendrij an. ℥ 1. cum cera fiat vnguentum bibat aquam, in qua appium, adiantum, scolopendria, cicoria, & gramen sint incocta cum sacchаro sitis tollerãda quantum ferri poterit. immo aliqui qui per menses a potu abstinuere conualuere philosophus quidam cum tollerare non posset necessariam sitim, aquam in magna quantitate assumebat, (vt refert Celsus) & deinde remouebat, quod tamen tutum non est, quia si retinetur valde nocebit.

Consultatio vigesimaprima de vlcere gallico pudendi cum gonorrhea gallica, & proponitur excellens remedium pro vlceribus pudendi.

QVIDAM ad me venit, qui gonorrheam patiebatur ex coinquinata muliere, ac prӕterea pręputium, glandem ita tegentem, atq; illi agglutinatum, vt detegi non possit, ex vlcere maligno.

De affectu, & causa.

GONORRHEA, quam patitur non ex seminis copia, vel vasorum imbecillitate, ex nimio coitu progreditur; sed potius ex mala vasorum spermaticorum, & testium qualitate coitu infectę mulieris inducta, quo fit, vt quӕ ad testes venit materia corrumpatur, & malam acquirat qualitatem cuius impatiens natura cogitur sӕpe eam emittere, & aliquando ipsę sanguis antequam mutetur. Cęterum ex eadem causa in pudendo vlcus enatum est siccum, quod agglutinauit prӕputium sic, vt glans detegi nequeat; appellant vero hanc Hypp. putredinem siccam, quӕ in vlceribus à quibus nil emanat deterior est, quam in illis a quibus sordes in dies profluunt; an vero hoc vlcus ex alia parte, vt puta ex Iecore affecto materiam transmittente exortum sit, vel potius ex praua sanie per contactum enatum, quӕstione dignum videtur, sed secundum probabile est.

De primo Scopo. An Medicus quicquam agere debeat.

QVAMVIS malignum sit malum, tam gomorrhea, quam vlcera, & bubo; ideoque cum difficultate sanationem sint adeptura tamen si recte tractentur, & precipue cum adhuc in principio sit sperandum ex toto sanatum iri nam gallici morbi seuities satis hisce nostris temporibus imminuta est si cum ea comparetur quę eo a principio olim. adeo vt speran dum sit aliquãdo abolerit hanc rabiem quod vero hic morbus alia ratione, quæ per contactum fieri possit, satis declarauit Hypp. 3. epid. sect. 3. vbi morbos pestis illius connumerans, & pilorum defluuium, & pudendorum vlcera, & bubones, & faucium erosiones aliaque huius morbi propria numerauit.

Quid Medicus facere debeat, & de commodo remediorum vsu.

CORPVS expurgandum, & materia diuertenda; attemperandum interim vlcera pudendi, detergenda, & sananda bubo maturandus, denique malignitas, & mali origo oppugnanda.

De corporis expurgatione.

IN primo mane assumat lenitiuum hoc. ℞ cassiæ nouiter tractæ, diacatoliconis an. ʒ 6. cum sacchare fiat bolus, quem assumat in aurora, sequenti die hoc vtatur syrup. ℞ syrup. de cicorea simpl. ℥ 1. de luppulis ʒ. 5. decocti florum, & fructuum ℥ iiij. fiat potio summenda in aurora calida, transactis septem diebus summat hoc pharmacum in aurora. ℞ diafiniconis ʒ. 5. syrup. ros. sol. ℥ iiij. cum decocto senæ fiat potus; interim aquam bibat, & bona victus ratione vtatur, & quiescat.

De attemperatione.

QVIA acredo multa est humoris, & caliditas lumborum, refrigerantia adhibenda, extra ergo vngantur renes hoc. ℞ vnguenti rosati ℥ 1. succi sempriuiui ℥ 1. misce fiat vnctio frigida ad lumbos cum it dormitum; intus vero summat singulo quoque mane aquam è limonibus destillatam cum sacchare rosaceo denique ad guaiaci decoctum deueniat, quo vt proprio antidoto, & tuto, relicta omni alia curatione, per quadraginta dies vtatur; cura enim quæ fit per vnctionem lithargirij, vel argento viuo, vt pestis fugienda, quod pessime afficiat corpus, & imprimat venenosam in membris qualitatem, quę in tota vita sit permansura.

De

De tractandis pudendi vlceribus.

VLCERA pudendi ſiccantiſſima pharmaca deſiderare ſcripſit Gal. vnde combuſtam cartam, & aloem adhibet; verum cum hoc vlcus maxime ſiccum ſit, neque glans agglutinata detegi poſſit, atque adſit magna caliditas, aliquanto emolire oportet, & detergere, cum his, quæ minime inflamment; ergo aqua calida in qua malua, hordeum, camemelum, parretaria, & viola bullierint, foueatur pars bis in die, poſt fotum per inſtrumentum aquam hordei in qua parum ſacchari ſit proiciat, vel aquam ligni ſancti, in qua hordeum, lactuca, cichoreum, gramen cocta ſint; poſt iſtam inectionem filamenta ex vnguento apoſtolorum applicet cum tertia parte butirri recentis, vt detergantur vlcera, & paulatim detegenda glans, vbi vero in conſpectum venerit, & iam ſanies emanat, tunc ad ſiccantia veniendum, & quæ malignitati reſiſtunt; inter vero omnia illa, quę maligna pudendi vlcera breuiſſime ſanant, & ſine morbi ſiccantiſſime ſunt; puluis eſt metallicus, qui ex vaſis æneis ab igne dum malleo percutiuntur exiit quæ eſt cinerici coloris, & eam vendunt artifices, qui calderarij vulgo dicuntur; eam vel eris ſquamam, vel florem eris non ſine ratione appelles, & habetur hoc, pro vnico, & admirabili remedio ſanandi vlcera pudendi, & præcipue gallica ſine vllo dolore; admouetur aliquando puluis mixtus cum roſacceo vnguento, aut de calce ob inflammationem eius, eſt autem vſus quod ad caro in vlcere rubeat, & naturalis appareat, hic vnguento lithargirij facile ad naturam redeunt. Quidam cum glandem omnem putrefactam haberet ex gallica lue, & pro deſperatione ſe occidere cum calderarij cuiuſdam ſeruus hoc ipſo puluere inſperſo ſanauit.

De bubone.

QVIA durus eſt, & malignæ naturæ, nec ad ſuppurationem venit; coquit in aqua, maluam, camemelon, alteam, & per ſpongiam bis in die ſpacio quarti horę calidam foueat partem, deinde applicet emplaſtrum ex braſicę foliis tunſis, & in butiro, vel axungia frictis. ita enim trahetur foras per fomentum, & maturabitur per emplaſtrum, ac emolietur. deinde ſectio fiat, vt ſolet, & mundificatiuo, quod oui luteo, oleo, & therebentina conſtat expurgetur, addita parte 12. ægiptiaci, ob malignitatem & quia omnes hi tumores maligni, ſunt inequaliter matureſcentes, vt ſcribit Hypp. dum expurgatur, ſi quæ adeſt durities emollienda emplaſtro, vel cerato diachilone, vel de mucillaginibus cęterum bubonis curam docet Gal. 13. Metho. & ſecundo ad Glauconem.

Consultatio vigesimasecunda pro difficillimo morbo curando, qui melancholia dicitur hypocondriaca. Casus.

IVVENIS *annorum trigintaquinque gracilis, hirsutus, pilo nigro, latis venis, studiosus, & curis vanis agitatus, per duos annos dolores patitur ventris cum rugitu, & ventriculi rosionibus, cum anxietudine & ructu accido, & presertim quoties cibos coctu difficiles assumit vel calidos & acres; color vitiatus sub flauus, macies totius corporis, & præcipue ad partes abdominis, vigiliæ, & interrupti somni, imaginationibus pleni, aluus sicca valde, hypocondria cum tensione quadam vtrinque tactui renitentia hæc patitur, & multis quamuis recte adhibitis remediis perseuerat malum.*

De affectu, loco affecto, & causa.

QVOD *afficiatur ventriculus satis demonstrat actio lesa, coctio scilicet deprauata, & erosiones illius, atque ansietudo, quare Diocles re-*
3. de loc. c. 6. *ferente Gal. aliquando scripsit os ventriculi in hoc malo, leduntur quoque viscera nutrientia, quæ ambiunt ventriculum, hepar scilicet & lien, & vasa eorum, & præcipue venæ meseraicę. siquidem hęc omnia coctioni inseruiunt, & sibi inuicem mala communicant. Afficiuntur vero iam per essentiam cum tandiu ęgrotari; videtur tamen prima origo mali fuisse ex hepate. Affectus duplex est, obstructio siue adstrictio meatuum quę sunt ab ore ventriculi ad iecur, per quæ fit alimenti distributio, humor obstruens duplex esse videtur; alter ex bile & melancholia genitus per assationem, qui potissimum pertinax causa est; alter frigidus & pituitosus qui in dies ex cruditate aceruatur. Intemperies multiplex quoque est Gal. ex sententia Dioclis calidum affectum affirmat, & inflammationi similem ex crasso sanguine genitum, id quod & æstus, qui in parte sentitur demonstrat, & symptoma, quod per calida exacerbatur; qua ratione intemperies calida, & sicca iecoris censeri debet, & oris ventriculi, vbi eo consistit malum rursus propter ructus accidos, cruditatis, flatus; videtur esse affectio frigida & humida ventriculi, sed quia proprium eius humidum absumptum videtur ea ratione sicca dici debet in habitu, licet in dispositione sit humida; videtur autē hic affectus magnam habere affinitatem cum eo quem coleram siccam ap-*
2. Acut. lib. 4 *pellat Hyppoc. & cum eo quem appellat Celsus calidam passionem; cum itaque viæ per quas distribuitur alimentum, sint obturatæ, seu os ventriculi sit, seu intestina ipsa, seu Venę meseraicæ, seu ex quæ sunt in hepate multiplices, nec cibus perinde recte distribui possit sursum regurgitans vertitur inflatus; vnde dolores & erosiones, rugitus, & ructus. Cum vero nec prima, nec secunda coctio recte fiant, tertia quoque vitiatur. quare non nu-*

tritur

tritur corpus & color prauus apparet. Aluus vero ſiccatur, tum ob hepatis calorem, tum etiam propter flatus in quo vertitur alimentum, & ob ſtructiones, ſomnus autem impeditur, quia aſſatus eſt ſanguis, & exſiccatum cerebrum. Inſomnia autem illa ob prauam coctionem in ventriculo fiunt, quod etiam dicebat Gal. accidere in pueris, ſcilicet vt teneantur in ſomno corruptis in ventriculo cibis. 4. Aphor.

An Medicus quidpiam agere debeat.

SI vllum eſt malum, quod medicos contemnat, & præſidia omnia, hoc certè vnũ eſt & ſi vlla difficilis curatio, hęc difficillima dici debet; difficultas vero pendet ex multitudine affectionum contrariarum; nam intemperies multiplex eſt. calida, & ſicca hepatis, & venarum ad inteſtina venientium, frigida & ſicca ventriculi in habitu, & frigida & humida eiuſdem indiſpoſitione; humores quoque in affectibus partibus contenti & calidi & frigidi, ſed maior difficultas ex intemperie prouenit, quæ cum fere ſit ſicca in hepate & ventriculo per abſumptionem humidi, & in habitu & ſolidis partibus, non mirũ eſt ſi non curatur; & cum longis ſiccitatibus, vt ſcribit Gal. neceſſario ſuperueniat frigiditas, deficiente partium nutrimento, ideo reduci poteſt hoc malum ad intemperiem frigidam ſic cauſa partium omnium nutrientium in habitu, & ſicuti non omnis ſiccitas eſt inſanabilis niſi cum conſumata fuerit, ita nec omnis hypocondriaca paſſio, niſi cum ad gradum deuenerit extremum ad quem tamen deueniſſe videtur in caſu noſtro, cum tandiu durauerit affectio, nec remediis minuta ſit; non tamen deſerendus eſt eger, quia ſi non aſſequemur, vt in totum liberetur, lucrabimur ſaltem vt malum quantum fieri poteſt leniatur. 7. Meth.

Quid Medicus facere debeat

OBSTRVCTIONES tollendæ ſunt, humor expurgandus, intemperies corrigendæ, & ſymptomatibus occurrendum, ſcilicet cruditatibus, doloribus, vigiliis, alui ſiccitatibus, & corporis extenuationi.

De pręparatione humorum.

CVM venter infernus non tumeat, ſed extenuatus ſit pertinax potius videtur eſſe obſtructio quam multa, & cum duplex ſit humor infartus, tenax alter & aſſatus, qui temperata & humida rogit ad ſui diſſolutionem, alter aqueus concretione frigidus, qui per calida, & ſicca extenuatur, ideo tale reperire oportet medicamentum quod ambobus ſit accommodatum, & præterea nutriat, & paulatim euacuat, quale hoc erit. ℞ me-

lisse, luppulorum, cuscutæ, borraginis, scolopendrij, eupatorij an. p. 1. radicum petroselini, polipodij, liquiritiæ an. ℥. ij. Coquantur in iure pulli vel columbi & facta colatura sumito huius iuris ℥ 6. sacchari albi ʒ ij. epithimi, aloes in puluerem redactorum, an. ℈ ij. fiat potus, quem calidum sumat in aurora per modum per decem dies; atque hęc potio nutriet ratione iuris, dissoluet humores, & attemperabit propter herba, & radices; paulatim euacuabit etiam bilem per epithimū, flauam per aloem, qui ambo sunt huius morbi radix. Interim ad partem externam in eandem intentionem quotidie fotus fiat per horam ante prandium, qui habet ℞ maluæ, violæ, camemeli, scolopendrij, absynthij, sumitatem anethi an. m. 1. seminum anisi, cumini, feniculi an. ℥ 5. bulliant in aqua, & foueantur hypocondria, vt dixi, & à fotu emplastrum hoc hypocondriis adhibeat, quod habet ℞ semen lini exactissime coctum, deinde massam illam in oleo absynthino excipe, & in ignem agita; adde croci in puluerem redacti parum, & in modum cataplasmatis hypocōdrio applica, & renoua quotidie a fotu per decē dies.

De purgantibus.

POST *prædictos dies, pręparato humore ea ratione qua dixi, & paulatim expurgato, validioribus vtendum, & si facile vomit, per vomitum expurgetur, hac potione ℞ seminis raphani ℥ ij. radicis assari ℥ 5. coque in lib. vna aquę cuius colatæ ℞ ℥ 6. oximel ℥ ij. tepidum bibat, mane, & si fortius facere vis adde præparati antimonij grana duo, transactis quatuor diebus infra purgandus est hunc in modum, ℞ radicum hellebori nigri ℥ 5. contunde leuiter vas, & infunde per horas quinque in libris duobus aquæ adde ad correctionem cinamomi, & dauci an. ℥ 5. epithemi passularum, florum buglossi an. m. 1. coque ad dimidias, & cola pro duabus dosibus; accipiat itaque huius decocti ℥ 6. cum ℥ iij. syrupi ros. sol. & fiat potus in aurora, & renouetur potio post dies octo, in quibus pro syrupo sumat singulo quoque mane ptissanæ cremorem cum drac. vna epithimi in locum syrupi denique aquas assumat minerales, quæ purgandi vim habent, & abstergendi mirificam, qualis est aqua tetucci, quæ licet caliditate sua aliquantisper noceant, magis tamen purgando, & abstergendo iuuat.*

Pro corrigenda intemperie.

SVMAT *singulo quoque mane cichoriæ saccum sacchary, & aqua hordei, ita vt succus sit pars sexta, aqua dupla, sacchari vero cochlear, & verno tempore lactis serum caprinum ad quantitatem ℥ 40. calidum per 15. dies.*

Pro

Pro symptomatum correctione.

COCTIO procuranda, vt alimentum non solum immoderata quantitate, sed optimi nutrimenti sumat, qualis est ex carnibus columbinis, pullorum, & auium boni succi & hędorum elixis cum iuribus suis, oua tremula, saxatiles pisces ex albo iure cocti, ptissana amygdalarum, & ante pastum vuis passis, & prunis coctis; post pastum semina anisi, & coriandri, nec non etiam pinea saccharo incrustata, & melonis semina eodem modo, vinum sit album tenue; ambulationes mediocres, vt cibus distribuatur; somnus vt concoquatur inducendus, comedendo lactucas coctas, & si semina papaueris albi aliquando in vna cum cibis misceat, vel si sumat vnciam syrupi de papauere cum it dormitum ventriculus item roboretur quotidie per horam ante pastum, hoc præstantissimo vnguento quod habet ℞ olei amygdalarum dulcium, vini generosi an. ℥ iij. comarum absynthij quantam in prædicto liquore imbibi possint bulliant ad vini consumptionem, & facta expressione adde mastiches aloes an. ℥ I. cerę parum fiat vnguentum pro stomacho, vt dixi. Alui siccitas corrigetur cum iure prę scripto tam etiam passulis illis, & vuis coctis ante pastum, & si aliquando vtatur clysteribus communibus. Ad flatus, & rugitus fieri poterunt clysteres ex rutaceo vel anethino oleo, liquando in illis adipem gallinaceum, & adendo anisum, cominum, & fęniculum, & ad flatus in stomacho cum vrget accessit sumat cyathum vini generosi addito puluere anisi, & prædicto loco foueat venter & ventriculus.

Consultatio vigesimatertia pro nutrientium viscerum, & præcipue hepatis mala dispositione qua ratione omnes pertinaces viscerum obstructiones curari possunt.

Casus.

IVVENIS ætatis annorum triginta, gracilis habitu, & biliosus, cum iam duobus annis prę teritis febre acuta laborasset, durities quędam relicta est ad hipocondrium dextrum, quæ adhuc perdurat, superuenerunt vlcera in cruribus serpentia quæ aliquando ad cicatricem reducta rediere, color illi subniger.

De affectu, parte affecta, & causa.

QVOD locus affectus iecur sit, ex tumore & duritie situs, tum etiam ex malo colore, & mala nutritione satis apertum est. Afficitur autem per essentiam quod permanens sit dispositio, nec ex alia causa depen-

deat, & propriis accidentibus cognoscatur. Compati quoque lienem verisimile est. Affectus multiplex est, obstructio enim adest & tumor, qui an sit iã scyrrus, vel potius adematodes ex tactu deprehendi potest, dicebat enim Hypp. 2. epid. hipochondri contentionem sub mollem, & æqualem esse flatuosam; sursum vergentem subrotundam, duram, suppuratoriam, aut scirrodem hepatis, rursus flatuosum tumorem calidis fomentis imminui, non ita durum, & suppuratorium, causa tamen tumoris, & obstructionis humor videtur esse crassus, ex bili & melancholia præassatus propter magnam intemperiem iecinoris calidam & siccam, accedente mala victus ratione: Hinc obstructum iecur est, crescente obstructione tumor, qui vel iam principium scirri esse videtur, vel futurum minatur. Cum vero sanguis ex assetur in iecore, & proinde mala qualitate imbutus, non corpus vt debet nutrit, & ad crura descendens vlcera procreat herysipelatosa. Cum vero vlcera symptomatice fiant non mirum est si sanata aliquando redierint causa ipsorum permanente.

An Medicus in hoc morbo aliquid facere debeat.

OMNES *affectus inueterati viscerum magna cum difficultate sanantur, atque eo difficillius cum schyrrodes naturam præseferunt; nam incipientes hepatis scyrros se aliquando sanasse Gal. scribit, factos autem nequaquam posse sanari affirmat, quinimo processu temporis in hydropem degenerare, & propterea in casu nostro, cruentus est ambiguus, & difficilis admodum sanatio, sperandum tamen est, vt si rectam seruet victus rationem, & commoda adhibeantur remedia magnos progressus factum iri.*

Quid agendum.

HVMOR, *qui obstructionem facit attenuandus, & euacuandus; iecur emolliendum, & roborandum, intemperies corrigenda est, & denique vlcera sananda.*

De humoris attenuatione, & vacuatione.

FLVIDVM *corpus facere oportet priusquam euacuetur; fluidum redditur meatus aperiendo, humores attenuando, & dissoluẽdo, vt aperiantur meatus communes prima die aluus leniatur hoc pharmaco. ℞ diacatol. ℥ 1. hyerę picrę Gal. ʒ ij. fiat bolus cum faccharo, vel dissoluantur cum decocto senę, sumat in aurora. Postridie sanguis mittatur ex vena iecoraria ad ℥ x. mox attenuandus humor & dissoluendus tum intus, tum extra non per ea quę calida sunt, & magis humores exassantur, sed quæ as*

temperando

temperando id faciunt, intus ergo duplex est preparans alimentum, & medicamentum; alimentum ex auibus boni succi, & ex piscibus saxatilibus potius ex ouis tremulis caricis, & vuis passulis, vtatur perpetuo cichorio cocto, quod dicitur seris à Gal. oleis inter cętera ad hepatis intemperiem calidam præstantissimam 8. per loca, vinum sit tenue & aquosum.

Aliquando etiam aquam bibat in qua radix liquiritiæ, & polipodij sit cocta cum saccharo omnes cibos crassę substātiæ, & omnia calida, & acria, & aromata, & exercitium validum medicamentum, intus attenuans ℞ oximel. scilitici ℥.5. de cichorio Nicolai ℥ 1.5. decocti capil. ven. borrag. graminis, oxalidis, eupatorij, liquiritiæ ℥ iiij. fiat potio, sumat in aurora, quę potio, & refrigerādi, & attenuandi, & dissoluēdi, & corroborandi vim habet. Extra vero attenuans fotus ad hypocondrium dextrum per spongiam, post syrupi assumptionem per tres horas ante cibum, quin habet. ℞ camomelli, absynthij, eupatorij, anethi, scolopendrij an. m. 1. radicum polipodij, querni, capparis, liquiritię an. ℥ 1. coquantur in aqua, & fiat per spongiam fotus, vt dixi per spatium quartę horæ partis, & dum attenuatur humor intus, & extra fiant singulis tribus diebus clysteres, vt emolliatur aluus, & pars materię attenuatę euacuetur, decima die a potione, & fotu purgetur hoc modo ℞ electuarij de succo rof. diafinicon an. ℥ ij. syrupi rosati sol. ℥ iij. cum decocto senę fiat potus; post tres dies sumatur aquam tetuccij per tres dies, & sumat vnoquoq; mane lib. viij. aut x. quibus si non cedat repetatur decoctum, & fomentum, & ea quæ molliunt attenuant, & roborant adhibeantur a fotu extra quæ subsequuntur.

Emollientia applicanda post fotum.

℞ Caricas, & passulas coctas tunde illas in mortario adde oleum absynthij, & puluerem comarum eius, & mentę croci spicæ nardi an. ℈. 5. incorporentur omnia distendantur linteo, & dextro hypocondrio applicentur quotidie, & renouentur post fotum, & est præstantissimum emplastrum ex passulis caricis, & croco coquit, & emollit, ex absynthio, menta & spica nardi roborat & attenuat. Pro liene si duritiem aliquam habuerit quoniam fert medicamenta validiora adest emplastrum Gal. quod ipse conficit ex oxirache, absynthio, cappari, cui tamen amoniacum ex aceto liquatum addere poteris, quod ita fabricare poteris tunde comam absynthij, & cappari radicem, mox oximellite excipe (scilitico si vis fortius efficere) adde ammoniacum cum prius in vino vel aceto liquatum fuerit, & applica lieni calidum.

De

De intemperie corrigenda.

SVMAT serum caprinum quod Gal. teste aperiendi, & abstergendi meatus vim habet sine manifesta calefactione cuius bene purgati, & calidi sumat ieiuno stomacho quotidie lib. iij. vel iiij. additis sacchari ℥ iij. & duret per 15. dies.

Pro vlceribus.

NVLLVM remedium in præstantius, quam balneum aquæ medicatę quale est sulphureę, qualia sunt hæc ptissana ad montem Diui Iuliani, quam ad miraculum vsque intra tres dies vel quatuor solet sanare vlcera, & omnia cutis vitia, si vero alia balnea prope sint poterit eo ire. Interim tamen curari poterit per ea quę herpetibus conueniunt medicamenta quę nequaquam humida, sed frigida, & sicca esse debent, vt docet Gal. 2. ad Glauconem cap. iiij. paretur ergo decoctum in hanc formam. ℞ plantaginis, poligoni, lentium, rosarum rubi an. m. 1. coquantur in sufficienti quantitate vini rubri tenuium virium, & calido hoc decocto foueat vlceræ quotidie, mox a fotu emplastrum fiat ex farina fabarum cum oximellite, & plantag. succo; si non cedit malum acria apponit Galen. & vtitur Andronis, aut polıde, vel passionis pastillis sapa vel vino dissolutis, nos eius loco possumus Aegyptiaco vnguento; sed quoniam hoc fortasse magis irritabit ego heris squamam adhiberem quod siccantissimum est medicamentum fere sine morsu, & pulueris est tenuissimus, qui excidit ex ære cum cogitur & malleo percutitur; vsus est, vt parum eius pulueris super vlcera inspergatur per tres vel quatuor vices quoad caro in vlcere iam dispositionem acquirat laudabilem, quo tempore ad cicatricem perducentur vnguento de tutia, vel de calce, vel lythargirij, & si fortasse puluis ille mordeat vlcera magis quam decet, misceatur cum dictis vnguentis, vel succo plantag. & aplicetur, verum dum curantur quiescat magis quam potest, & sic curata mali radice vlcera quoque curatum iri probabile est, nec amplius, vt redeant timor erit.

Consultatio decimaquarta pro vrinæ incontinentia ex scabię vesicę. Relatio.

ILLVSTRISSIMVS Marchio Forinoui vrinam continere non potest, sed cogitur frequenter, & in pauca quantitate mingere, mingit tamen sine difficultate, vrina tenuis esto, & alba, subturbida; præcessit gonorrhea quædam acris, & quartana quam per annum passus est; quo tempore

scabie

ſcabie quadam ſicca, ſeu prurigine laborauit totius cutis, vt ceciderint pili ſuperciliorum; agit ętatem quinquaginta annorum, temperie ſanguinea, nec remediis recte adhibitis ceſſit malum.

De loco affectu, affectu, & cauſa.

QVOD veſica afficiatur eius indicat leſa actio, cum nequeat continere vrinam; indicat dolor, cum poſita, cum ſentiat originem, quandam, & in collo veſicæ, & in glande indicant, & excreta, vrina nequaquã cocta; laborat autem per eſſentiam, cum adeo perſeueret, & propriis accidentibus dignoſcatur, neque apparet vnde nunc originem habere poſſit? Affectus ſymptoma eſt actionis leſę immodice; Cauſa non videtur eſſe calculus cum ſine vllo impedimento meat, neque vnquam lapillos, vel arenulas excreuerit, non vlcus veſicę, cum nunquam pus minxerit, niſi aliquando rariſſime parum ſanguinis; nec enim ſanguinis excretio ſola ſignum eſt vlcerationis in vaſe vrinario, ſed ſi etiam pus excernatur; nec Aphor. 74. 4. libri disiunctiue legi debet, ſed copulatiue; ſi quis ſanguinem & pus meat renum aut veſicę vlceratio ſignificatur; Erit igitur affectus ſcabies veſicę; nam ſicuti totum corpus ſquamoſum, & ſcabiolum factum eſt, ob ſalſum & acrem humorem, ita ſane veſica lepram quandam concepiſſe eſt vero ſimile, qua ratione fit vt irritata & morſa ab vrina illam contenere nequeat. Sed dices Hypp. pro ſigno ſcabiei veſicę ponit 4. Aphor. vt vero craſſa vrina furfuracea expellantur, & primo Epidemiorum in Theophili filio quo veſicam ſcabioſam habuerat vrina erat craſſa, hic vero tenuis apparet vrina, & furfuracea corpora non apparent; Ego non potui exacte eius lotium perpendere, nec enim fieri poſſe puto quin aliquando appareant; ſed quoad craſſitiem vrinæ, dico Aphoriſ. eſſe intelligendum, ſicut ſi adſit craſſa vrina cum furfure adſit ſcabies veſicę non è contra. Cauſa ſcabiei humor acris, & ſalſus, & aduſtus eſt, tunicis veſicæ infartus, & intemperies illius aſſans humores. Ex quibus nutritur, hinc fit vt veſica lotij qualitatem ferre nequeat, quod cum ſua natura mordeat, acrius tamen in caſu noſtro eſſe credendum eſt.

An agendum.

QVIA aduſtos gignit humores procedendum, vt temperati gignantur, & geniti euacuentur; nam fouent, & augent; ad veſicam vero illa quæ exſiccant ſine morſu conueniunt medicamenta, & quæ attemperant.

De

De fiat adustus humor, & de attemperatione.

DVPLEX est causa alimentum, & viscera conficientia; ego si alimentum sit temperatum, & attemperans attemperabit viscera, & præcipue iecur; ex carnibus auium boni succi, vt plurimum elixatis cum suo iure, in quo lactuca, cichorium, acetosa hordeum coquantur. Ex piscibus saxatiles ex quibus optimum & attemperans fit nutrimentum vtatur loco syruporum matutino tempore ptissana, quæ aliquando fiat ex hordeo, aliquando ex amygdalis cum seminibus frigidis, aliquando lac caprinum in omnibus saccharum misceat; oleribus vtatur coctis, vt cichorio, lactuca, cucurbita; vinum non album ne statim petat vrinæ vias, sed subrubrum vel subausterum perpetuo. Cum vino misceat aquam, radicis cinę indefectu salsaparilliæ, fugiat omnia acria calida aromata, motum & quæ inflammare sanguinem possunt, hypocondrium dextrum vnguento santalino succo cichorij excepto vngatur quotidie.

De expurgatione.

PROCVRET vt aluus sit lenis perpetuo, quod per alimenta procurare poterit, si ante cibũ prunas, passulas coctas, & caricas assumat. Item betas, mercurialem, maluas; aliquando clysteribus ita enim deriuabitur materia, sed ad reuellendum si vomitum facile habet, vomat singulo mense a cibo assumens varia, & varia vina, inde tepida digito vel penna immissa, expurgentur quoque humores acres per syrupum rosatum solutiuum quo pluries in anno vti poterit, sumendo illius ℥ iiij. cum decocto florum, & fructuum.

De exsiccantibus vesicam, & temperantibus.

SVMAT bis in anno aquam Villicam, aut eam quæ est ad montem Sancti Iuliani, quæ sine morsu abstergunt vias omnes vrinæ, & ex eadem aqua per Siphonem fiant quotidie inuctiones addito plantaginis succo, aut solani halicacabi, seu vesicarię, quę præstantissima est in hoc casu, vnde trocisci fiunt alchechengi, aliquando lac immitatur, cui tutia in tenuissimum puluerem redactum, & coralli pulueris sint admixta; hæc enim attemperant exsiccant vlcera balnea quoque de aquis ptissanæ solo singulo anno petat, & perseueret cum remediis, iuxta illud Hypp. secundum rationem operanti nisi succedat, non est protinus ad aliud transeundum, & impertinaci, & longo morbo, vt dicebat Celsus non est mirum si quid non statim prodest, quia profectus tempore expletur.

Con-

Consultatio vigesimaquinta pro epilepsia per consensum, & est casus notabilis admodum.

PVELLA annorum x. per interualla quędam hæc patitur symptomata. Primo morsum quendam sentit ad mucronatam cartilaginem, quasi quod constringatur, & prematur, mox succedit vocis & omnium motuum priuatio; Venę coli tument: dentes & maxillę tenaciter, vt in tetano adherent. Recordatur omnium post accessionem.

De affecto loco, affectu, & causa.

QVOD cerebrum afficiatur, actio lęsa satis demonstrat; sed non primo, nec per essentiam cum alio exoriatur malum, scilicet ex ore ventriculi, vt ostendit dolor cum positu. Nam si quæ ante morbum pars laborauerit ibi morbi sedes locanda est. Hypp. auctore. Igitur ventriculus secundum os eius pars est quę primo, & per essentiam afficitur. 4. Aph.

Affectus non est apoplexia, neque paralisis, hęc enim per circuitus non adueniunt. Igitur inter epilepsiæ species numerandus est.

Causa mali non aliqua manifesta intemperies esse videtur, sed potius praua quædam dispositio, seu in ventriculi ore, seu humoribus, qui ibi aggregantur impressa, per quam quoties pars irritatur; ad cerebrum, seu per vaporem, seu alterationem quandam communicatur cerebro, & cordi malum. Nam sicuti ex morsu scorpionis, aut phalangi (vt ait Gal.) in parte quædam venenosa linquitur dispositio, quę totum corpus afficit; ita sane in corporis particula talis gignitur affectus aliquando à quo cerebrum, & cor feriuntur, & conuelluntur partes, & præcipuè cum sedem habet in ore ventriculi, parte adeo sensibili, & cum cerebro, & corde communicabili; commorsis vero neruis tertij, & septimi paris quæ ad linguam, & maxillas eunt loquella amittitur, & rigent dentes. Quod vero recordetur omnia post accessionem indicat non esse lęsos ventriculos, sed magis neruorum exortus. Lib. 3. de loc. aff. c. 7.

An aliquid agendum sit.

CVM malum non sit in cerebro per essentiam, sed ex ventriculo dependeat sperandum est artis benefitio superari posse, atque multo magis ætatis cum menstrua erumpent; & quia grauis admodum est accessio ideo curandum, vt quamprimum succurratur.

Quid

Quid agendum.

MATERIA quæ aggregatur indies euacuanda: Ventriculus roborandus, & attemperandus, praua illa qualitas corrigenda, & symptomatibus occurrendum.

De vacuatione humoris.

EA fiat paulatim primo per vomitum assumendo aquæ tepidæ vncias iiij. oximellis ℥ I. inde vero fauces penna irritet, & poterit vomere à cibo: sin minus vacuetur ex hiera Gal. cuius pillulas sumat vnam vel alteram singulis septimanis; purgetur etiam pill. de tribus quæ excellentes sunt in hoc affectu, & clysteribus acutioribus per interualla vtatur addendo communi coctioni hieræ pic. ℥.5.

Pro intemperie curanda.

CVM hic morbus ex materia frigida ortum habere soleat, maximè cum sit per consensum, seu ex affectu, qui frigidę qualitatis sensum inducat, vt in pueris 3. loc. aff. ait Gal. ideo vergat omnis victus ratio ad calidum, & locus itidem; nam hæc duo testimonio Hypp. hunc morbum curare solent, & perinde victus attenuans sit ex auibus boni succi potus aqua in qua peoniæ radix sit incocta: Vinum quoque absynthites per interualla sumat. Extra vero ventriculus roborabitur vnctione olei in quo absynthium, & menta coxerint.

2. Aphor.

De iis, quæ resistunt a proprietate.

CVM adsit indicibilis qualitas in parte ea per antidota curari debet: Gal. eos quibus ex crure oriebatur malum ligaturis adhibitis supra partem, & iis quæ adurendi vim habent accessionem prohibebat. Quare & medicamentum ex thapsia, & ignem admouebat. sed in ventriculo quod sensibilis admodum sit id ipsum per theriacam fieri poterit, cuius per interualla ℈ I. sumere poterit cum vino maluatico; Quinimo & ventriculus ipse extra eadē theriaca oleo absynthino dilluta inūgi poterit. Cęterum Gal. medicamentum conficit ex squilla quod post purgationem, si quotidie per quadraginta dies assumat liberatum iri à morbo permittit.

Lib. de puero epilept.

De prouidentia accessionis.

QVOTIES accessio venit excitanda est ligaturis, & frictionibus extremorum foueatur ventriculus per deriacam oleo mētæ dissolutam; Aperiantur dentes, & tepida cum oximellite infundatur per os vt vomat. Glans quoq; ex melle cum speciebus hierę facta iniciatur, vt aluus exoneretur cienda sternutamenta quæ hystericis superuenientia maxime cōferre scripsit Hyp. admouendo naribus acetū cū pipere, & rutha, & castoreum.

5. Aph.

FINIS.

